



12863




25/21

*La. sum. M*

D. Joannus deo a Salterio Alzianus  
magister pp. professor E





FRIDERICI  
HOFFMANNI  
MEDICINÆ RATIONALIS  
SYSTEMATICÆ

TOMI QUARTI,

QUO SPECIALIS MORBORUM PATHOLOGIA,  
& huic superstructa solida therapia cum medendi methodo  
cautelis clinicis, & morborum enarrationibus  
adjuncta epicrisi, exhibentur.

PARS QUINTA.

Doctrinam morborum ac vitiorum externas potissimum  
partes afflignantium perspicua, & demonstrativa  
methodo tradens.



VENETIIS, MDCCXL.

Ex TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO:

ГЕРМАНИЯ  
ИИАМНОН

MEDICINA TATIANA  
СУДАМЫТАУ

ЛЯКУМОТ

АДОЛТАЧ МУРДОМ СЫЛДЫР  
Сылдыр ылбашынан көзөмдөйлөнүп  
сүрөттөн көзөмдөйлөнүп  
көзөмдөйлөнүп, көзөмдөйлөнүп

ЛАТИОЗЯЛ

Латио зял мактаба мактаба таңбаша таңбаша  
мактаба мактаба таңбаша таңбаша  
мактаба мактаба таңбаша таңбаша



УНІТЕІС МДСХІІ

Ертегелік мактаба  
Баласынан мактаба

# PRÆFATIO.



N! exhibeo jam Tibi, B. L. octavum medicinæ systematicæ tomum, in quo viotorum externam corporis superficiem adfligentium rationalem pathologiam, solidamque huic superstructam therapiam ex genuinis principiis medico-chirurgicis perspicue traditam invenies. Nam mihi cum prudentioribus omnis ævi medicis rata semper ac firma fuit sententia, nobilissimam eamque vetustissimam artis salutaris partem, quæ chirurgica nominatur & saluberrima externis humani corporis languoribus medendi præcepta tradit, medico cum laude res suas peragenti scitu esse summe necessariam, sine cuius notitia neminem puto vel satis, occurrere, vel rite mederi omnibus morbis posse. Evidem non ignoro, & olim fuisse, & adhuc esse ex medicis plurimos, qui, artem illam, quæ manu sanat, remediorumque externorum pro vario scopo applicationem docet, ad disciplinam medicam directe pertinere negant; at vero hi certe non intelligunt, totum hominem tum quoad internas, tum etiam externas partes medicinæ objectum esse, tamque mirabilem has ipsas intercedere harmoniam, ut vitium, quod extrinsecus conspicitur, ex interioribus sæpiissime oboriatur, partiumque externarum lœsio e contrario internas facile vitoſe adſiciat. Accedit, quod vitia, quæ externis infesta partibus manualem operam exigunt, plerumque etiam interioribus communia sint, ut fere in inflammationibus, tumoribus, apostematibus, scirrhis, exulcerationibus, humorumque extravasationibus videre licet, quibus certe non sola internorum medela, sed maxime etiam prudenti esternorum ope succurrere expedit; quæ tamen pro diversa corporum natura, pro causarum morbi, aliarumque circumstantiarum differentia mirum in modum variat, maximamque prudentiam requirit. Unde satis eluet, nec medicinam a chirurgia, nec saniorem chirurgiam a medicina, principiis anatomico-physicis & mechanicis fundata tuto posse ſejungi. Quæ quum ita sint, rectissime admodumque præclare judicarunt veteres, qui ex familia Aesculapii ortos arte medica imbuendos primo omnium chirurgiæ præcepta docuerunt, ipſique in suis de re medica monumentis summum statuerunt pretium. Neque vero ſolum antiquissimis temporibus, sed noſtra etiam ætate a prudentioribus magno præ ceteris honore afficiuntur illi medici, qui paulo accutiori anatomes Scientia inſtructi, rem medicam apte cum chirurgia coniungunt; licet pauci sint, qui egregiæ huic arti addiſcendæ tempus operamque navent.

Et quam immensum ſalutis diſpendium in universum genus humanum redundaret, niſi medicus chirurgiæ artis probe gnarus, rerumque in ea obviarum peritus eſſet? Etenim, quum in noſtriſ potiſſimum regionibus plurimi eorum, qui Chirurgiam de iſtituto tractant, omnemque eidem industriaſ impendunt, pernicioſos committant errores, maxime ſane de ſalute rerum publicarum ſervanda desperandum eſt, niſi prudens medicus hancce crassam chirurgorum inſcitiam confilio adjuvare, & multa dama ſmodiſtiori admonitione præcavere fatagat. Accedit, quod pertinaciores partium esternarum lœſiones difficilem, vel nullam plane recipiant ſanationem, niſi convenienti interno remediorum uſu perite ſuccurratur; cuius tamen chirurgi plerumque ignari ægrum non modo nihil juvant, ſed etiam in majus periculum ſæpiſſime præcipitant. Id quod omnino exinde derivandum eſſe arbitror, quia chirurgiæ scientia ut plurimum vulgari, empirica & minus rationali methodo tractatur, minimeque penſi habetur, an illam exercens ex anatomes ſtudio partium externarum, ut oſſium, muſculorum, nervorum, tendi-num, membranarum, glandularum, & vaſorum ſtructuram, ſitum & connexione didicerit, an doctrinam de ſanguinis circulo, de viribus, de robore partium, de nutritione &c. calleat, nec ne: quum tamen haec omnia ſcitu neceſſaria ſint, plurimumque inſerviant, ut quis de externis lœſionibus remediorumque tam uſu quam noxa eo melius ferre judicium poſſit. Summa igitur gratia habenda eſt Po-ten-

## P R A E F A T I O.

tentissimo Prussiae Regi, Domino meo longe clementissimo, qui non modo boni publici promovendi causa, sed etiam tuenda militum valetudinis gratia collegium anatomical chirurgico - medicum multis sumtibus constituit, eisdemque Professores in re medica & chirurgica peritissimos præposuit, ut artis chirurgicæ studiosos in rebus anatomical & rationali morbos tam externos, quam internos sanandi methodo, quantum ad chirurgi officium spectant, omni diligentia instruant atque exerceant. Neque minorem meretur laudem eximius Gallicæ nationis ardor, quo illa instigata non modo omnem movet lapidem, nullisque parcit sumtibus in chirurgia plenius perficienda, ejusque cultoribus erudiendis, verum etiam minime veretur, limatiora medicorum extraneorum scripta in vernacula convertere, ut inde chirurgiae dediti saniora hauriant principia.

Hinc ego non sine insigni animi voluptate comperi, Lutetiae Parisiorum & scriptis meis tale statui pretium, ut digna haberentur, quæ in vernaculam a clarissimo D. D. BRUYHIERIO traducta impensis meritissimi bibliopolæ BRIASSON publici juris fuerint, omnibusque latinæ linguae ignaris primum medicinæ systematicæ tomum gallice redditi.m & accurate impresum: & forte etiam reliquæ partes sequuntur, maxime quum hoc suum propositum ipse mihi auctor per literas indicaverit.

Sed ut redeamus, quo digressi sumus, quemlibet sane abunde convictum spero, quam necessaria quamque proficia sit medicinæ cum chirurgia conjunctio, ita quidem, ut nec medicum sine chirurgia, neque chirurgum sine solidioribus medicinæ principiis menditis munere rite fungi possit. Ideoque in præsenti hoc octavo tomo res maxime ad chirurgiam pertinentes rationali methodo exponere allaboravi, ea spe fore, ut rei medicæ dediti diligenter hujus operis lectione & usu fructum percipient non paenitendum, quam ego toto pectore voveo, opto, & appreco.

## N O I R E F O R M A T O R I Dello Studio di Padoa.

**H**Avendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. Frà Paolo Tomaso Manuelli Inquisitore di Venezia, nel Libro intitolato: *Friderici Hoffmanni Medicinæ Rationalis Systematicæ Tom. 4. Pars 5.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza à Sebastiano Coletti Stampatore di Venezia, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. li 14. Luglio 1740.  
( Z. Pietro Pasqualigo Refor.  
(  
( Lorenzo Tiepolo Cav. Proc. Refor.

Registr. in Libro a carte 57.

Agostino Bianchi Seqr.  
CAPUT

I

# C A P U T I.

## D E

# SCORBUTO EJUSQUE VERA INDOLE.

THESES PATHOLOGICÆ.

### §. I.

Scorbuti  
no-  
minis  
falla ac-  
ceptio.



Corbuti nomen, tam late nostris temporibus patet adeoque familiare est, ut quævis fere chronica passio, si qua ipsi impuritas jungitur, scorbutica adpelletur; hinc nihil in praxi medica est solennius, nihil usitatus, quam ut cachexia, arthritus, dispnea, paralisis, erysipelas, colica, atrophia, rheumatismus, purpura aliæque plures hujus generis affectiones inter scorbuticas numerentur. Quid? quod mos adeo invaluit, ut hodie medici imperitiores, si quando ex certis signis neque morborum nec causam ejus rite possunt cognoscere, statim scorbutum prætendant, & pro causa scorbuticam acrimoniam accusent. Deinceps non raro accidit, ut adfectus quidam sœpe plane singularis, cui portentosa spastico-convulsiva junguntur symptomata, in artis exercitio occurrat; & tum usu receptum est, ut illum vel ad fascinum, vel ad málum scorbuticum reiiciant. Horum sententiæ plane adversantur alii nostro tempore non adeo incelestres medici, qui hunc morbum, quem scorbutum nominamus, vel plane negant, vel

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

tantum pro exacerbatione mali hypochondriaci & hysterici venditant; qua in retamen, uti ex infra dicendis elucescet, admodum falluntur.

### §. II.

Scorbutus propriæ sic dictus est magna functionum universi corporis læsio a summa sanguinis & succorum vitalium dyscrasia & corruptione, ob ingens diætae aerisque vitium, proficisciens, locis maritimis & septentrionalibus ut & militibus in castris viventibus admodum familiaris, curationis valde difficilis.

### §. III.

Hic adfectus, qui gravibus admodumque variis symptomatibus est stipatus, in partibus præcipue externis suam manifestat indolem: nam si imminet, lassitudo spontanea totum corpus occupat, & crurum pedumque gravitas cum movendi impotentia subsequitur. Deinde color faciei a naturali rubidine recedit, ichor cum sanguine mixtus ex gingivis fluit, quarum carnem relaxat & ad dentium usque radices consumit, ut illorum utrobique fiat vacillatio: in cruribus porro emergunt maculæ, diversæ figuræ, magnitudinis ac coloris, qæ sœpius in ulcera mali moris desinunt: incremento malo dolores lancinantes, vagi vel fixi cum movendi quadam impotentia, vel

Signa  
essen-  
tialia.

A

con-

## Cap. I. De Scorbuto ejusque vera indole.

convulsiva strictura , artus invadere  
solent.

### §. IV.

Veteribus etiam hunc morbum non  
plane fuisse incognitum , haud ob-  
ne non scire ex HIPPOCRATE elucet ,  
inco-  
gnitus  
fuit  
scorbu-  
tus .

qui lib. de internis adfectibus §. 34.  
nostrum adfectum sub splenis mor-  
bo describit , quo laborantes hæc pa-  
ti dicuntur : *venter inflatur , postea  
splen intumescit & durus est , & do-  
lores acuti in splenem incidunt , color  
faciei mutatur , & fit niger , pallidus ,  
malicorii speciem referens , gin-  
giva male olen , a dentibus discedunt  
& ex tibis ulcera erumpunt , velut  
pusula nocturna , membra insuper at-  
zenuantur & stercus non secedit .*  
Idem PLINIUS in hist. nat. lib.  
XXV. cap. 3. perbelli confirmat , per-  
hibens : *quod in Germania Casaris exer-  
citu citra Rhenum & viriosi & me-  
dicati fontis aqua potu vi malefica  
conspurcatæ duo novi exierint morbi ,  
quorum alter putridum oris maleolen-  
tis vitium , quod suxævæ appellab-  
ant , quo intra biennium omnes den-  
tes decidabant , alter qui nervos cru-  
rum adeo oblaebat , ut compagines  
in genibus dissolverentur & crura vel-  
licaret , quod ob id exæstuyer a cru-  
ribus adellarunt .*

### §. V.

Com-  
pleria  
mori-  
historia  
cum  
symp-  
matum  
enarr-  
atione ,  
qua se  
viterque  
adfigere  
exele-  
rant .  
x) in ab-  
domine .

Ut vero eo clarius peculiaris hu-  
jus morbis genius innotescat , con-  
sultum nobis visum est , integrum  
hujus luis historiam cum omnibus  
gravibus symptomatibus prætexere ,  
ita quidem , ut juxta singulas partes ,  
quas dirus hic morbus occupare gra-  
uitate & dolore non adeo frequen-  
ter ægri conqueruntur , aliquando  
tamen nausea , vomitu & cardialgia  
adsciuntur . Appetitus in quibusdam  
valde est dejectus , in aliis præter  
naturam auctus . Contrarium autem  
valet de siti , siquidem appetitus hu-  
midi fere nullus est : ructus frequen-

ter emergunt acidi , amari , nidorosi  
& foetidi , cum impetu saepe erum-  
pentes : in ventriculo & intestinis  
rugitus & murmura frequentius sen-  
tiuntur : alvis est multis valde laxa ,  
aliis contra valde adstricta , ita , ut  
fæces nimis aridae vix possint emit-  
ti : in quibusdam podex quasi intror-  
sum trahitur , ut nihil commode ,  
vel tantum cum molimine maximo  
immitti possit . Præterea in abdomi-  
ne valde notabiles sunt dolores , qui  
vocantur colici , longe tamen aliter ,  
quam vulgares comparati : sunt enim  
lancinantes , acutissimi , intolerabiles  
fere , ut parum absit , quin manum  
sibi affecti inferant ; & ab iis dolori-  
bus hic morbus etiam Schabod nomi-  
natur . Neque tunc adest , ut in aliis  
doloribus , tumor ventris a flatibus  
distenti , sed introrsum potius rapi-  
tur umbilicus , ut pugna manus in  
cavitudinem imponi possit , diue dura-  
t nec medicamentis vel fomentis  
facile cedit , idque tandem peculiare  
habet , ut frequenter in paralysin  
desinat .

### §. VI.

Jam progradimur ad ea , quæ in pectore præter naturæ ordinem se stote , offerunt , inter quæ occurrit ægra spirandi facultas , quæ frequentius oritur vel exacerbatur sub nimio corporis motu . Hanc persæpe comitantur anxietas , quam sub diaphragmate , in medio hypochondriorum spatio , ubi cartilago ensiformis situm habet , ægri percipiunt , & quæ ipsos non nisi erectos respirare sinit . Facilis autem ex hoc affectu lapsus est ad hydropem , subsequentे prius crurum & dein abdominis tumore , præsertim si vehementiora eaque dra- stica purgantia fuerint adhibita . Præter respirandi difficultatem in thorace dolor lateris nunc sinistri nunc dextri , modo versus dorsum , modo versus sternum & ipso in sternoper- cipitur , qui tamen non debet confundi cum pleuritide vera , ubi dolor est continuus & punctarius cum febre ,

febre , tussi continua & sputo colorato ; quod minus observatur in pleuritide scorbutica , ubi dolor quidem est acutissimus , non vero continuus ; sed per intervalla rediens ; neque adest febris neque sitis ; nec difficilis extra dolorem spiratio irtet . Præter hæc pulsus parvus & inæqualis , plane contrarius est illi , qui in vera pleuritide occurrit : tussis aliquando nulla vel non adeo molesta est , sive adest , non tam vitio thoracis , quam potius a materia in glandulas faucium destillante evenit . Recite itaque hoc malum pleuritis spuria scorbutica adpellari potest , facileque a vero pleuritidis morbo distinguitur , quod diutius quam ille inhæret . Deinceps palpitatio cordis non infrequens scorbuticis malum est . Accedunt quoque septem pectoris angustiae & animi defectio-nes , quas æ gri , dum a lecto surgere conantur , præter omnem fere externam causam patiuntur : in eo tamen hæc mentis deliquia ab aliis videntur recedere , quod pulsus sub ipsis major fortiorque observetur , qui in aliis contra parvis & interceptis micat ictibus . Præterea in thorace , quia œsophagus ibi situs est ; aliud adhuc symptoma incidit : conqueruntur enim frequenter agri scorbutici , totam gulam eorum esse obstructam ; & hærere ibi aliquid instar pali , quod remoraretur , quo minus solida vel liquida adsumpta possent transcendere , ut inde , si quidquam deglutendum sit , in suffocationis verarentur periculo .

## S. VII.

<sup>3) in capite, collo & faciebus.</sup> Misso thorace progredimur nunc ad collum , fauces , ipsumque caput , ubi iterum varia occurunt symptoma , & primo quidem salivatum , quæ valde frequens scorbuticorum symptoma est . Dein gingivæ in hoc malo valde laborant , quæ inter initia sunt tumidæ & vel leviter contractæ sanguinem fundunt serofitum : sæpe etiam caro ibi luxurians

copiose excrescit , cui tandem factor accedit molestissimus . Sub gingivis ita male adfectis dentes in suis alveolis vacillare incipiunt , ita nonnumquam , ut eximi possint . Dolor quoque dentium frequens adeст ; & ille quidem præter manifestam causam ; in eo tamen ab alia differt odontalgia , quod subito recedat facileque recurrat . Capitis dolores sæpe adsunt immaries , ut plurimum vagi , raro fixi , qui suas circa vesperam potissimum habent periodos , sed obortu noctu sudore desinunt . Vertigo quoque & scotomiae aliquando eveniunt , somnolentia per intervalla incidit : cum contra alii vigilis torquentur & per plures septinanas vigilantes non debilitantur , uti febricitantibus accidit . Sollet etiam aliquando gravis tristitia , aliquando plane delirium sine causa accedere , in eo vero a ceteris deliriis differre , ut plane inordinate & præter justas causas invadat .

## §. VIII.

Facto nunc transitu ad partes externas , convulsiones , dolores , ac partibus spasmos in iis obvenientes consideramus . Convulsiones sunt frequentes ad poplitem , aliquando etiam talos trahunt , & hinc inde immanes sunt contractiones , quæ etiam non raro in articulis permanent . Quem adfectum egregie descripsit GREGORIUS HORSTIUS . Frequenter etiam contingunt paralyses , præsertim in cruribus , post graves intestinorum spasmos ; ubi stupor præcedens imminentis mali initium est : differunt vero ab ordinaria paralyse , quæ sensim fit & diu durat , omnemque motum tollit ; scorbutica vero subito accedit , subitoque recedit , motum adhuc ex parte relinquens , præsertim si in lecto adflicti se contineant . Porro ingens lassitudine omnes artus citra manifestam causam occupat : conqueruntur etiam scorbutici nonnulli de dolore vermicu-

lari ; aliquando obtusus tensivus dolor ipsas ossium medullas occupat , qui osteocopus adpellari solet . Alii atrocissimos experiuntur dolores pungentes , lancinantes , non fecus ac si pars ab altera divenelleretur . Vagi plerumque sunt hi dolores & nunc ex alia parte in aliam se transferunt , sed mox iterum derelinquent ; unde etiam arthritidis vagae nomen habent : aliquando fixum locum videntur figere in pectore , ubi pleuritidis metus .

## §. IX.

*Præser-tum in cruri-bus.* In cruribus potissimum dolores oboriuntur , circa talos etiam & plantas pedum : aliquando in digitorum extremis , in coxendice , genu , dorso , lumbis & nucha , & differunt in eo ab arthrite vera , quia non circa articulos tantum , sed etiam in carne circa membranas vagantur . Præterea observantur copiosi sudores , in primis noctu molesti & confumentes ; sanguinis quoque profusiones aliquando ex naribus continent & difficulter sistuntur . Maculae præter hæc oriuntur , quæ nunc maiores , nunc minores , culicum moribus similes , præcipue rubicundæ , deinde purpureæ & sublividæ , tandem nigrae evadunt . Majores interdum integrum tibiam implent , late se extendentes , frequenter quoque in cruribus , collo & pectore apparent , evanescunt autem modo , modo iterum erumpunt . Aliquando etiam tumores & tubercula in corporis partibus oboriuntur , pedes œdematosus tumor occupat , sunt quoque exulcerationes hac ratione : primo pars admodum dolet , deinde abscedit cuticula , non aliter , ac si fervente aqua pars esset superfusa , profluit serum & tunc intensissime pars dolet ; sed vix unquam verum pus ibi notatur , alias etiam vulcera profunda observantur siccæ , quæ nullum pus vel saniem fundunt & facilè in gangrænam abeunt . Gangræna etiam frequentes sunt scorbuticis , potissi-

mum in pedum digitis , quæ in eo ab aliis differunt , quod sine causa manifesta & inflammatione invadant lenteque serpent & tarde jugulent . Hæc præcipua ac potissima sunt scorbuti signa & hoc morbo afflictorum symptomata , quæ quidem non in omnibus similiter & omnia observantur , sed in nonnullis horum adfert plura , in aliis pauciora , in aliis majora & iterum in aliis mitiora , longius vel brevius tempus durantia .

## §. X.

Postquam igitur integrum & completam affectus nostri historiam cum omnibus fere & singulis , quæ complicari solent , symptomatis recentiuimus , proximum nunc est , ut paucio exquisitus dispiciamus , a quibus causis tam proxima , quam remotioribus , tanquam a fonte , atrox hic morbus cum pravis suis effectibus proveniat atque promanet ; idque maxime hanc obrationem , quia tam præservationis quam curationis momentum , veris morbi causis cognitis , unice innititur . Nos vero dirius morbi continentem & proximam causam in summa succorum vitalium impuritate , vitæque & sanitati infensissima corruptione , jam supra in definitione reposuimus ; at tamen cum minus adhuc determinatum sit , in quonam labes illa potissimum consistat , quel quomodo oritur , pravamque indolem suam exferat , operæ erit pretium , ut hoc ipsum accuratiori disquisitione eruamus .

## §. XI.

Rectam corporis nostri valetudinem , sive functionum ejus tam naturalium quam vitalium & animalium integratatem a landabili humorum vitalium , sanguinis , succi lymphatici , nutriti & nervorum fluidi temperie , mixtione ac crassi eorumque libero & æquabili in omnes corporis partes influxu & circuitu dependere , res in physiologicis certa est

Causa  
scorbuti  
proxima  
conficit  
in summa  
succorum  
vitalium  
corruptione .

Quome-  
do ge-  
neretur.

*Cap. I. De Scorbuto ejusque vera indole.*

3

*Et & extra omnem dubitationem posita. Verum enim vero, quum debita temperies ac puritas in eo maxime consistat, ut partes subtiliores, & mobiliores, aqueæ æthereæ, elas- ticae, blande sulphureæ, cum gelati- nosis & tenuioribus mucidis debita pro- portione inter se mixtae & unita- sint; crassiores vero, glutinosiores & terrestres variique generis salinae, tartareae, alcalino-sulphureæ sive bi- liosæ & superfluae aquosæ & pin- gues per congrua, a provida natura constituta colatoria & emunctoria, ut fere sunt perspirabilis cutis, he- par, renes, intestina, tunicae glan- dulosaæ fauciūm, nasi & bronchio- rum, rite eliminantur; judicatu est facillimum, tum fluidorum vitalium impuritatem, sive Græcorum loquendi idiomate, cacochymiam oriri, quando particulæ terrestres, tenaces, Sulphureæ atque salinae in corpore intus retentæ præ dulcibus ac tem- peratis prædominium obtinent. Hoc loco autem scire expedīt, impuram in hoc morbo sanguinis dyscrasiam non semper unius ejusdemque esse ge- neris, sed pro diversa excrementitia- rum particularum indole permultum differre, & varia quoque inducere symptomata. In quibusdam enim subiectis fluida materia valde visci- da fixa terrestris salina acida, in aliis biliosa salino alcalino sulphurea sca- tet ac dominatur; hinc etiam auto- res scorbutum vel a causa frigida vel a calida derivare solent: nos tertiam adhuc speciem addimus, quæ a fluidorū vappescente & in putridam corruptionem vergente dispositione derivanda est, & hæc utique pei- ris indolis ac naturæ reperitur.*

*§. XII.*

*Putrida corruptio & vappidus hu- morum status vel eo ipso fatis evin- citur, quia scorbutus per contagium sæpe propagatur, & affectiones om- nes, quæ contagio inficiunt, putri- das exhalationes pro causa & fun- damento agnoscunt, quæ altius pe-*

*Hoff. Syst. T. IV. P. 5.*

netrando, instar seminij seu fermenti humores jam dispositos, præser- tim pingues inquinant, & in suam convertunt naturam. Unde non mi- rum esse debet, quod a solo foctore cadaverum, scorbuto extinctorum ortum hujus mali annotaverit. **SEN- NERTUS cap. I. & IV. de scorbu- to, & fonticas exhalationum scor- buticarum noxas graphicē dipinxerit** **CASPARUS HOFFMANNUS de febribus cap. LVII.** Si quis, inquit, statim a morbo extinctus fuerit, ni- bil periculi subest, sed postquam pu- tredo cadaveris succedere solet, pro- cul hinc abesse debent sodales, nisi eadem velint labe contaminari. Et quid multa? ingens illa, quæ sponte oritur, lassitudo, artuum languor ac impotentia, magna virium ad ly- pothymiam usque prostratio, pulsus arteriarum debiles ac languidi, pel- simi sudoris & urinæ fœtores, & tam facilis tamque promta partium extremarum sine prægressa externa caufa, sphacelatio, satis clare ac manifeste sumمام sanguinis, & suc- ci nutritii corruptelam patefaciunt.

*§. XIII.*

Verum enim vero, ad genuinam symptomatum scorbuticis inhærentium causam explicandam, non de- pravata solum planeque aliena hu- manum indoles sufficit, sed aliud adhuc momentum, videlicet destru- Causa  
media-  
ta con-  
sistit in  
fluidi a  
solido  
secessio-  
ne.  
cta elementi stundi cum solido in sanguine unio requiritur, quam ex pluribus cum scorbuto, coniunctis phænomenis non obscure licet colligere. Maxime vero omnium hanc fluidi a solido, eoque graviori ele- mento separationem inter alia satis docere possunt fluxiones sanguinis aquosi, quæ per nares, gingivas & alvum contingere solent; neque min- nus, quod in partibus extremis, ut facie, labiis ac cruribus, valorum oscula nonnunquam se aperiant, & sanguineum laticem fundant. His demum accedunt salivationes, urinæ & sudores copiosi, scorbuticis

*A 3*

*fre-*

*Corru-  
ptionis  
putridæ  
presen-  
tia in  
scorbu-  
to evin-  
citur.*

frequentissimi, qui nimiam seri a sanguine crassiori secessionem simili-  
ter abunde declarant; cum contra dolores vagi ac incostantes ex una in alteram partem transeuntes, insig-  
nem seri impuri tenuitatem & sub-  
tilem acrimoniam produnt. Siquidem tenuis & acris humor ex vasculis sepositus, a parte ad partem fa-  
cillime ac celeriter transfertur, quod quidem præcipue in arthritide vaga scorbutica evenire deprehendimus; quo etiam præcordium angustiæ, spasmoidæ orificiorum ventriculi & diaphragmatis constrictiones, dolores intestinorum jancinantes, & si-  
miles in pectori fævientes, qui pleu-  
ritidis spuriæ nomine veniunt, ac denique pruritus exulcerationes jure debent referri. Lentorem denique & crassitudinem humoris scorbutici, extu-  
moribus, doloribus fixis, artuum lassitudine, horrore, stupore animad-  
vertere licet: & abhinc etiam palpi-  
tationes cordis, syncopes, carus & lethargus, pulsus debilis & parvus, tristitia, melancholia, polyposæ concretiones, majoribus pulmonum & cordis vasis inhærentes, affectiones paralyticæ, tumor & incrementum subitum corporis, hepatis & lienis magnitudo, ut & tubercula in variis partibus &c. sunt derivanda.

## §. XIV.

*Quod probatur.* Præterea destruetam solidi cum fluido unionem intimam, quæ ad circuitum per minima vasæ & visce-  
ra summe necessaria est, sanguis per venam incisam emissus, qui ut plu-  
rimum grumosus, niger, gravis ac crassus est, supernatante insimul copiosa aqua, mali odoris & saporis, ad sensum demonstrat. Vidimus non raro, e pedibus sanguinem in aquam immissum brevi tempore in fibrofa concrementa compactum, in aliis in patina collectum non ita multo post crasso tenacissimoque glutine fuisse obductum. In quibusdam vero loco sanguinis crassi, valde tenue, cocci-  
nei coloris & acris saporis serum,

nulla crassiore nigra substantia in fundo vasis relicta, effluxisse, non sine admiratione conspeximus.

## §. XV.

His ita, quæ mali nostri causam sedes concernunt, clare expositis, non im-  
merito in quæstionem ventit, quæ nam potissimum viscera in nostro prima-  
rio in liene.

His ita, quæ mali nostri causam sedes hujus mali concernit, clare expositis, non im-  
merito in quæstionem ventit, quæ nam non est potissimum viscera in nostro prima-  
rio in liene. Veteres quidem, inter quos HIPPOCRATES agmen dicit, lie-  
nem maxime, utpote succi melan-  
cholici, & atrabilarii sedem accu-  
sabant; sed accuratori recentiorum per anatomen inquisitione constat,  
non tam in liene, quam potius in hepate sedem hujus mali esse consti-  
tuendam. Ita SENNERTUS lib.  
III. med. præf. Sect. II. cap. 2. in cadavere scorbuto extincti aperto,  
omentum fere totum putridum &  
corruptum, in liene vero nihil, quod tantum ad sensum culpari potuisset,  
deprehendit. FORESTUS lib. XX.  
obser. secul. 2. in quodam Hollandiæ Praeside magis hepar, quam lienem adfectum fuisse, diligenter an-  
notavit. Sic etiam REUSNERUS  
exercit. IV. de scorbuto, viri cuius-  
dam hepar corruptum, callosum &  
ad depurationem sanguinis ineptum  
vidit, lienem vero magnitudine, &  
colore cum hepate sano certantem.  
Imo HORSTIUS Tr. de scorbuto  
Sect. II. §. 8. scorbuticum quandam  
vidisse commemorat, cui jecur to-  
tum interius atque exterius scirrho-  
sum erat, nec quicquam vasorum  
vel sanguinis exhibebat; lien vero  
triplo major, quam secundum natu-  
ram esse solet, optimeque sanus con-  
spiciebatur, parenchyma jecoris col-  
ore sat rubeo, nec non substantia  
carnosa referens. Et WILLISIUS  
post plurium scorbuticorum cadave-  
rum dissectionem multoties obser-  
vit:

vit: hepar aut cystidem felleam fuisse in culpa. Invenit enim in non-nullis hepar prorsus exsangue & instar uberis vaccini exsuccum, in aliis vesicam biliariam prorsus vacuam & inanem, in aliis lapidibus obstatam, in aliis amurca maxime amarecente repletam, lienem vero optime validum ac sanum.

## §. XVI.

Sed omnia tunc viscera &c. mundata laesa sunt.

Si nostram hac de re sententiam interponere licet, non dubitamus adferre, omnia viscera & emunctoria, quae fluidorum depurationi inserviunt, labo quadam ac vitio esse affecta, dum a lentiori sanguinis progressu, minima eorum vascula ac meatus per facile nimium infaciuntur, a viscida amurca obstruuntur, & demum plane indurantur. Speciatim vero universale illud ac solenne universi corporis emunctorum, cutis, per quod tenues excrementii succi exhalant, non sine ratione maximam pati labem videtur: neque viscera in abdomen sita sanguinea, ad quæ vena portæ pertingit, ut hepar, lien, mesenterium, omentum &c. ab omni labore & culpa sunt immunita, eo quod hepar partibus impuris, falsis, sulphureis & in alcalinam naturam vergentibus, secernendis dicatum est; lien vero ad intimam fluidi cum solido mixtionem præcipuum confert momentum: quare harum omnium partium laesio in primis in scorbuto attendenda est. Ceterum probe notari velim, observationibus anatomico-practicis non penitus esse in nostro affectu fidendum, quia rarissime scorbutici demortui, sed quando jam in hydrozem, atrophiam, hecticam, morbum nigrum, vel sphacelum internum delapsi sunt, cultro anatomico subiiciuntur.

## §. XVII.

Ventrunculus  
Quod vero noster affectus tam diuturnus ac contumax sit, ut aperte propriatis etiam & efficacibus praeditio. diis, valde resistat, id mea quidem

sententia inde deducendum est, quod digestionis & chylificationis officina, sub qua ventriculum cum intellinis intelligimus, non recte se habeat, sed valde laesa sit. Sicut enim a succi menstrui, salivatis, gastrici & pancreatici temperie leniterque spirituosa indole, & sufficienti influxu, intima alimentorum dissolutio & succi boni, subdulcis, chylofi, præparatio & extractio unice pendet; ita dum per impuritatem sanguinis vitiati menstruales illi succi a temperata indole plane deflectunt, non nisi crudum, viscidum & acidum chylum producunt, qui ad sanguinem accedens ejus intemperiem ac impuritatem magis adhuc intendit, auget, pravoque fomento sustentat.

## §. XVIII.

Hactenus mali scorbutici ejusque symptomatum, continentem & proximam causam veramque sedem, & quomodo vires ubique diffundat, perspeximus; proximum nunc est, ut, unde causæ hæ morbi internæ suam nanciscantur originem, investigemus: idque optime fieri confido, quando ad causas istas externas, non naturales a medicis appellatas, quibus quotidie ad vitam opus habemus, animum mentemque advertamus. Ita primo omnium nos docet experientia, scorbuticum malum quam maxime certis regionibus & populis, præsertim septentrionalibus & maritimis, ut Cymbriis, Norvegisis, Seelandis, Frisis, Ditmarsis, Belgis, Svecis, &c. esse proprium ac valde familiare. Cujus rei causa in catholico isto, seu universali fluido aereo-aethereo est querenda, quod exhalationibus impuris, putridis, falsis, nimiumque aqueis refertum, yi sua elastica & expansiva, a qua vigor, tonus, & robur solidorum, eorumque vis motrix systatica dependet, multum privatur. Quapropter etiam in aliis climatibus, ad meridiem vergentibus, loca lacustraria, uliginosa, humilia, ubi facile

Causa non naturales.

r) Aeris vitium.

inundationes, & aquarum, delapsum non habentium, stagnationes, item nebulae frequenter contingunt, ad progignendum eundem morbum sunt aptissima; certe non aliam ob causam, quam quod aer, multis exhalationibus humidisque vaporibus repletus fibras motrices valde relaxando, humorum circuitum cum naturalibus se & excretionibus valde retardat atque imminuat.

### §. XIX.

<sup>2) inge-</sup> Sicut vero secundum HIPPO-  
<sup>sta pra-</sup> CRATIS effatum *iib. de flatibus* non  
ab aere solum, sed ab ingestis etiam  
morbis proveniunt; ita experientia  
edocti cognoscimus, victimum inprimis  
durum & salsum, qui ex carni-  
bus taurinis, porcini & annosiorum  
animantium compactioribus, multo-  
que saxe conditis & fumo induratis,  
neque minus ex piscibus, præfertim  
maritimis exsiccatis & salitis con-  
stat, variisque gentibus mari & se-  
ptentrioni proximis, familiaris est,  
ad nostrum morbum plurimum con-  
ferre momenti. Quo etiam legumi-  
na crassioris texturae, in locis præ-  
fertim humidioribus, & uliginosis  
progerminata, panis grossior, durus,  
& ex fecali, tempore pluvio collec-  
to, confectus, item qui situm con-  
traxit, jure debent referri. Ex pot-  
tulentis aquæ crudæ, duræ, graves,  
salsæ & stagnantes, ad quotidianum  
potum usurpatæ, vel si cerevisæ ex  
istis coctæ, lupulo non bene condi-  
tæ, vel acidæ & faculentæ redditæ  
fuerunt, nostro malo ingenerando  
plurimum velificantur. Hæc omnia  
tamen longe majori sunt documen-  
to, si vita iners, deses omnisque fe-  
re laboris & exercitationis expers con-  
jungitur. Sic enim vitalis fluidorum  
circuitus & abhinc pendentes se & ex-  
cretiones vale retardantur, sanguini-  
que crassities & spissitudine inducitur.

### §. XX.

<sup>4) Tem-</sup> Porro animadvertisimus, corpora  
<sup>pera-  
men-</sup> spongiosi & laxioris habitus, tem-  
peramenti sanguineo phlegmatici,

quæ exilitate ac copia vasorum mul-  
taque pinguedine prædicta sunt, præ  
ficioribus macilentis, strictioris com-  
plexionis, quæ vasa majoris diame-  
tri habent, scorbuticae corruptioni  
esse obnoxia; hanc potissimum ob  
causam, quod in illis tardior &  
lentior humorum circuitus, impedi-  
tiorque excretionum fit successus &  
succii pingues aquosi quam promte,  
miasmate quodam accidente, in pu-  
tredinosam abeant corruptionem.  
Præterea & illud observamus, quod  
feminæ præ viris, urbani præ rusticis,  
eruditæ præ plebeis, qui laboribus fa-  
tigati pravos humores in corpore ac-  
cumulatos per transpirationem expel-  
lunt, ad luem hanc magis sint dispositi.

### §. XXI.

Maxime vero omnium ad corrum-  
pendam sanguinis massam, motus  
que œconomiae corporis nostri per-  
vertendos, & excretiones, quæ per  
cutim, alvum & urinam fiunt, sup-  
primendas, consuetæ sanguinis eva-  
cuationes, in feminis per menses,  
in viris per hæmorrhoides imminu-  
tæ, magnam in nostro adfectu ob-  
tinent potentiam. Huc quoque per-  
tinent mulieres steriles cum illis,  
quibus menstrua sponte propter æta-  
tem subsistunt, & omnes, qui con-  
suetas sanguinis missiones, sive sca-  
rificando, sive venam incidendo,  
olim suscep-tas, penitus omittunt:  
siquidem inde humores in corpore  
valde cumulati, libere per omnia  
vasa circulari nequeunt, sed hinc  
inde stagnantes, impuritatem con-  
trahunt; unde scorbuti origo. Quan-  
tum vero suppressæ sanguinis excre-  
tiones ad scorbutum conferunt, tan-  
tum e contrario nimia, quæ per na-  
res, uterum, hæmorrhoides & in  
purpureis per lochia contingunt,  
sanguinei laticis profusiones, testi-  
bus probatissimis SALOMONE,  
ALBERTI, EUGALENO, &  
WILLISIO, ad genesis nostræ mali  
contribuunt. Nimia enim sanguinis  
jactura, perinde ac nimia ejus abun-  
dantia,

<sup>5) Ex-  
cretio-  
nes sup-  
presse.</sup>

<sup>.. & ni-  
miae.</sup>

dantia, humorum stagnationi & corruptioni ansam præbet largissimam.

## §. XXII.

<sup>6) Aetas</sup> Ratione ætatis vel maxime huic morbo obnoxii sunt senes; quippe morbi ipsi familiares, multum cum scorbuto convenientia alunt, ideo quod ex impura, salina & viscida sanguinis & humorum crassi suam mutuantur originem. Neque hoc dijudicatu est difficile: siquidem sub invalecente ætate, minima vasa, per quæ potissimum sordium inutilium excretiones fiunt, partes nutrituntur, & lympha quoque cum sanguine intime miscetur, arefcere, coarctari & angustari incipiunt; unde suo perfungi munere nequeunt, totaque sanguinis massa successu temporis impura redditur.

## §. XXIII.

<sup>7) Graves animi adfletus.</sup> Insuper ad classem causarum remotarum maxime ea, quæ vires labefactant & motus vitales se- & excretorios minuunt, referri debent. Sunt autem præsertim hoc in numero graves animi, per anxiam curam, tristitiam & mœrorem diuturnum, inducæ perturbationes. Sic EUGALENUS Tr. de scorbuto p. 3. obs. XV. constanter prædicere autus est, eos facile omnes, quos cum crassiori visus ratione diuturnior mœror exercent, ad scorbuticum malum esse proclives. Cui adsentitur WILLI-SIUS, qui nonnullos, fortuito timore percuscos, scorbuticos evasisse observavit. Magnam enim hæc animi pathemata obtinet potentiam in solidorum robore infringendo, & sanguinis circuitu, qui inde pendet, remorando; unde humoris tardius circumacti, spissi, ad traiciendum minima vascula inepti & tandem impuri evadunt; unde facilimus ad scorbutum transitus.

## §. XXIV.

<sup>8) Motus corporis nimius.</sup> Ut vero nimium otium, quod supra demonstravimus: ita etiam si excessus in motu committitur, ut vel nimis violenter instituatur, vel diutius ju-

sto continuetur, damno esse solet. Tali enim ratione, purissima ac subtilissima succi sanguinci, nutritii & nervosi pars dissipatur, & exhauditur, ut facilius postea humores alienam, & corruptam indolem, præsertim accessu contagii, induere possint. Reprobamus vero quam maxime est, intempestivus, & intensior corporis à pastu motus, quo videlicet succus chylosus, nondum satis recte digestus, in sanguinem nimis citato rapitur; unde omnia facile mala, quæ a digestione male peracta, crudoque & rudi chylo provenire, supra innuimus, certo certius propululant. Sapienter itaque GALENUS lib. II. de sanitate tuenda cap. 2. præcipit: non debet, cum administratur exercitium, crudi incocti que cibi aut succi multitudo vel inventriculo vel in vasis contineri, unde periculum sit, ne prius, quam per matram ectionem utilis sit, in omnes animales partes rapiatur.

## §. XXV.

Nihil præterea facilius, nihil prom-  
tius ad scorbutum disponit, quam prægredi-  
ubi morbus aliquis non ita diu præ-  
gressus, quamcumque labem, vel mi-  
nimum sui vestigium, sive sanguini  
& succo alimentari, sive alicui ex vi-  
sceribus præcipuis impressum reli-  
quit. Hinc nihil in arte est frequen-  
tius, quam quod febribus tam con-  
tinuis, quam intermittentibus, inop-  
portune suppressis, vel si ægri adhuc  
debiles statim alimentis se obrunt,  
scorbutus a tergo succedat. Ratio in  
proclivi est: succi enim vitales per  
febrile incendium subtiliori, & ful-  
phurea sui parte, debitaque spiritua-  
lentia orbat, ægre suum circuitum  
absolvunt; unde miasma a pristino  
morbo relictum facile alienam con-  
trahit indolem. Ut multas hac de  
observationes, quæ omnes morborum  
in producendo scorbuto potentiam  
confirmant, silento rætereamus,  
commemorare tantumphoc loco pla-  
cat consensum, quem hypochondria,  
ca

ca adfæctio cum scorbuto habere sollet : siquidem hic illam sæpiissime aut comitatur aut excipit ; unde medicorum quidam decepti , nullam inter utrumque morbum differentiam admittere voluerunt .

## §. XXVI.

<sup>9.) Vita militaris in castris.</sup> Genus quoque vitæ interdum huic malo caufam præbet antecedentem . Sic maxime nautas eodem corripi obseruamus , qui longis & diuturnis navigationibus detenti non nisi humido aere circumdantur , simulque crasto , salso ac duro victu se nimis onerant . Morbus noster deinceps etiam non raro est castrensis , eam maxime ob rationem , quod milites in castris degentes nulla diæta victusque ratione habita aquas stagnantes , & potus genera sæpenumero corrupta , cibos crudos , & interdum semiputridos , panem situ obductum , & lardum rancidum ingerunt , corpora impuro humido , præscriptim per noctem frigido exponunt aeri , nimisque vigilis , excubiis , ac inedia defatigantur ac vires prosterriunt . Qua de re exstat insignis locus apud OLAUM MAGNUM lib. de regionibus septentrionalibus XVI. cap. 51. qui huc transscribi meretur : ex cibis , inquit , pisibus , carne , sale & suffitu maccratis , esculentis frigidis & crudis , ac pane non probe pisto , morbus ille borrenduscastrensis & a vulgo Scherbock dictus incrudecit , quo fauces & gingivæ putrescent , ventriculus diris cruciatibus torquetur , dentes flupent & vaillant . &c. HOECHSTERUS pariter obs. med. decad. VII. eas. X. p. 162. de scorbuto , tanquam militari moho , in media Germaniæ parte olim grassato , longam recentet observationem , cuius præcipua momenta huc allegare lubet : Postquam Rex Sveciæ anno 1634. urbem imperialem Augustam Vindelicorum armis suis subjecerat , milites in ciuitum ædes locati febrem militarem ardentem malignam cum delirio , & petechiis junctam , qua etiam milites

cæfarei laborarunt , in urbem intulerunt , ut ingens inde multitudo succubuerit . Hoc vero morbo circa brumam remittente , plurimi civium de laffitudine , gravitate & ambulandi impotentia conquerebantur : neque poterant stare erecti ob crura rigida , dura , & dolorosa , quibusdam intumescentia , quibusdam contabescencia . Qui siccioris naturæ erant , illis tendines , nervi ac musculi crurum sursum trahebantur , ut flecti non possent , interdum cum acuto dolore , interdum sine eo : quidam in lecto cubantes se voluere , non tam pedes extendere valebant . Plurimi ex his , circa finem hiemis 1634. algidum , fatis cesserunt . In plurimis ea erat pedum infirmitas , ut iisdem inniti non possent , licet aliquem in lecto motum haberent . Maculæ autem omnibus fere erant communes , quæ multifarium coloratæ primo instar lentium rubræ , dein cœruleæ , tandem lividæ in artibus apparebant , tanta interdum latitudine , ut maximam cruris partem occuparent . Junioribus gingivæ laxo ac flacido luxuriabant tumore , quo fortius tacto ac fricato sanguis niger ac fetens effluebat simulque fector oris ac masticationis defectus aderat . Leucophlegmatia , ascites , tympanites , atrophia , diarrhoea , icterus accedens mortem inferebat : aerem siccum ægrotantes non bene ferre poterant , propter fanguinis ebullitionem , hinc etiam nimis motus ipsis erat noxius .

## §. XXVII.

Proposita jam mali scorbutici historia , ejusque signis & causis in littera - Differ- quidum deductis , facillimum erit , hunc morbum ab aliis , quibuscum ratione symptomatum & impuræ dyscrasie multum habet commercii , ad evitandam confusionem , distingue- rentia . Evidem probe scio , plures & ante nos fuisse , & nostra adhuc ætate esse medicos , qui scorbutum eundem esse morbum perhibent , quem HIPPOCRATES libr. de Intern. ad- Hippocratis. fect.

*feet.* nomine ilei cruenti descripsit ; siquidem in hoc affectu, perinde ac in scorbuto, ingens ex ore faecor exhalat, gingivæ a dentibus abscedunt, sanguis e naribus manat, imo ulceræ quandoque ex cruribus pullulant, horumque alia sanescunt, alia graviora sunt : at vero, quum de maculis, quibus se hodie intuentum oculis scorbutus repræsentat, altum apud HIPPOCRATEM sit silentium, & ipsi quoque, volvulo cruento laborantes, ad ambulandum ac laborandum promptos expeditosque esse dixerit : cum tamen in scorbucis languor, gravitas, frigus & crurum ad movendum impotentia adsit, ego vix possum induci, quin ita sentientibus fidem adjungam. Sunt dein nonnulli, qui scorbutum ad icterum nigrum referunt, quia in hoc os foetet, gingivæ exeduntur, multumque sanguinis stillant, ulceræ ægrius cicatricem sumunt, & in ægris quoque ad laborem tarditas, languor & difficillima fanatio observatur. Utut vero non negandum sit, quod ambo hi morbi, ob similitudinem humorum corruptionem, insignem habeant convenientiam, in eo tamen videtur quædam intercedere differentia, quod in ictero nigro, fecus ac in scorbuto, color faciei totiusque corporis niger appareat, sternora porracea secedant, saporis amarities adsit, nullaque contagii vis observetur. Cui demum accedit, quod in ictero hepar potissimum affectum sit ; cum contra in scorbuto eadem fere in omnibus visceribus labes delitescat, maximeque sistema nervosum partium spasmis, & doloribus lancinantibus pessime affligatur, quod tamen in ictero minus contingit.

### S. XXVIII.

A malo hypocondriaco & melancholico scorbutus distinguitur, licet non raro junctus cum ipso prodeat. Evidem in dicto affectu obtonum viscerum destructum & tardiorem sanguinis spissioris circuitum impuritas quædam, & humorum

corruptio adest, neque minus ex statu humorum dolores & spasmi visuntur ; aut massa sanguinea non tam putrida est & corrupta, nec tam multis & acribus salibus imbuta : unde etiam non modo contagii vis deficit, sed & maculæ, ulceræ putrida, gingivæ relaxatae, & sanguinolentæ, summa corporis ac artuum laffitudo, imo virium ad lipothymiam usque defectio, ceu consueta scorbucorum symptomata, plane defunt. Denique <sup>alue ve-</sup> <sub>nicta.</sub> lues scorbatica ratione corruptionis, quæ solidas & que ac fluidas partes exedit, ob maculas quoque, dolores & ulceræ, imo ob contagii virus multum cum venerea habet affinitatis ; nihilominus tamen permultum interest, ut utrumque affectum probe discernamus, quia alioquin in praxi damnum redundat gravissimum. Probe itaque tenendum arbitror, luem venereum non nisi contagio nasci, scorbutum vero ex aeris, aquarum & diætæ vitio, rerumque non naturallum abusu oriri & inde certis regionibus certisque climatibus esse proprium. Porro scorbutus gingivas magis occupat dentesque reddit cariosos, lues autem venerea magis tonsillis, vuulæ, naribus, ossibusque palati, exulceratione & erosione est infesta. Urina scorbucorum est crassa, colorata, salibus lixiviosis turbida; in lue autem venerea minus est colorata, turbida cum limoso sedimento. Tandem in scorbuto spasmi & dolores magis sunt vagi, in lue venerea magis fixi, ossibus inhærentes, qui tamen noctu sub lecto ingravescunt.

### S. XXIX.

Cum nullo vero morbo noster affectus plus habet adfinitatis, quam cum purpura rubra chronica, quæ febris ut plurimum expers, adeoque hodie familiaris est, ut etiam <sup>zæt</sup> <sup>et</sup> <sup>zæt</sup> scorbatica appelletur, maxime, cum pariter ac ipse scorbutus non exiguum humorum impuritatem pro causa & fundamento agnoscat. In eo tamen a scor.

A purpura rubra chronicæ.

a scorbuto differt, quod in hac pulsulae, semen millii amplitudine æquantes numerosissimæ cum corrugatione, asperitudine & ariditate cutis, intercurrente, presertim inter initia, horripilatione, pruritu, æstu & pectoris quadam angustia, efflorescant, quæ peculiarem fœtorem cum largo sanguine spargunt; quale quid in scorbuticis ita annotare non licet. Deinceps nullum aliud exanthema, in primis in sensibiliors naturæ hominibus, tam instabile est, quam purpuraceum, utpote quod mox comparet, mox iterum retrocedit, nihil saepè incommodi, nisi aliquam pectoris oppressionem fauiciumque raucedinem relinquens, quæ tamen symptomata regimine convenienti adhibito facile iterum remittitur.

## §. XXX.

**A ca-**  
**chexia.** Inter morbos cum scorbuto multum similitudinis habentes, jure quoque numerari debet cachexia, quæ a nostrî ævi medicis plerumque scorbutica appellari solet. At vero, quo patefiat, quantum inter hos morbos intercedat discriminis, scire licet, cachexiam neque contagio propagari, neque populariter grassari, nec gingivis adeo esse infeniam, nec denique maculis corpus deturpare; quæ omnia tamen in vero scorbuto tantum fere non semper contingunt. Imo demum ipsa causa materialis in scorbuto aliter est comparata, quam in cachexia: in hac enim feri magis tenuis, quam glutinosi & acris delinquit copia; unde etiam externum corporis habitum valde relaxatum, flacidum & tumidum observamus.

## §. XXXI.

**P regno.** Constituta sic nostri morbi ab aliis sibi cognatis differentia; sequitur jam, ut indicemus, quomodo de ejus evenitu & curatione firmum & prudens ferre judicium possimus. Et primo quidem in genere notare licet, scorbutum ex iis esse affectionibus, quæ nec subito ægrum invadunt, nec subito cum deserunt, sed testudineo

quasi gradu procedentes, ad mitigationem æque ac curationem multo tempore exactaque viætus ratione opus habent. Unde etiam fit, ut noster affectus, si vel levis error committitur, facile recrudescat, præsertim si a parentibus, hæreditario quasi jure, ad liberos descendit, & tum raro etiam tollitur radicitus. Idem quoque contingit, si inveteratum est malum, si corpus senile, vel a prægrexis morbis valde debilitatum & exhaustum, invadit; tunc enim sensim ad hydropem, atrophiam, paralysin, convulsiones, carum, lethargum, apoplexiā, sphacelationem extremonrum, aliaque lethalia mala viam sternit. Alter contra res se habet, si malum est incipiens, ætas juvenilis, habitus corporis strictior, & origo ejus a contagio: tum quippe curatu est facilius, maxime, si ejus fomes per menses, hæmorhoides aut diarrhoeam criticam subtrahatur. Facilius quoque sanationem recipit, si locus mutatur & ex insalubribus maritimi, septentrionalibus, ad meridionales plagas fit transitus. Porro quando hypochondriaci, cachectici & gonorrhœæ virulentæ impliciti, in symptomata incidunt scorbutica, cura quidem difficillima, sed non pro summe desperata habenda est. Res notatu perquam digna est, quod, licet homines in regionibus septentrionalibus valde sint robusti; nihilo tamen minus ex hoc morbo laborantes ægrius convalescant. Cujus rei rationem adferre videtur aphorismus HIPPOCRATIS (XXX.) a SPONIO allegatus, qui hic est; *quibus corpus male transpirat, ii robustiores sunt, & minus agrotant; si vero agrotant, difficilius restituuntur.* Etenim in populis regiones septentrionales inhabitantibus, quorum cutis a nimio frigore crassa, densa & constricta est, portio sanguinis subtilior & spirituosa, retinetur, nec tam copiose & liberaliter exhalat, unde popu-

populi ejusmodi regionum sunt robustiores. Quandocunque vero hi homines ægrotant, difficilius à morbis, qui per transpirationem sanari debent; ob cutem valde densam & constrictam, convalescunt.

§. XXXII.

*Prognosticus pecunialis de tumori bus, & ulseribus scorbuticis.* In specie vero notandum est, quod timores, in partibus subito erumpentes & brevi evanescentes, saepius indicent paralyсин; ventris vero tortura & continuæ circa umbilicum contorsiones, vel sphacelationem intestinorum & subitam mortem in senibus, vel tympanites post se trahant. Maculae, quo magis ad colorē nigrum vergunt, eo pejoris sunt indolis, sique in ulcerâ abeunt, difficillime sunt curacionis, ut potius in corruptionem sphacelosam saepissime desinant. Pessimum quoque est, si gingivæ & adjacentes partes exulceratae carnem ad ossa absument & abscessum in mandibula formant.

§. XXXIII.

*... in morbis ex scorbutica dyscrasia praeventibus.* Morbi, qui ex scorbutica humorum dyscrasia proveniunt, ut fere sunt paralysia, purpura chronica, cachexia &c. facile recidivant, ita quidem, ut nunc singulis annis, nunc ex longiori intervallo, pro vietus ratione, pro regimine aliisque circumstantiis recrudescent; & si demum ipsis visceribus, vel partibus nervosis labes est impressa, haec non tam facile tollitur: humor enim scorbuticus, qui fermenti ac feminii naturam emulatur, sanguinique & succo nutritio profundius inhæret, ægerrime expellitur.

§. XXXIV.

*Scorbutus cur difficultas curacionis.* Ulterius quoque notatu per quam dignum est, quod ordinario & hypochondriaci & scorbutici rarius pri- stinæ sanitati restituuntur; idque maxime hanc ob rationem, quia rarius medicis obediunt regulisque diæticis ægrius se submittunt, sed per medicamenta cito curari cupiunt: unde fit, ut subinde ab uno reme-

dio ad aliud, ab uno medico ad alterum transeuntes malum ipsi deteriorius reddant, præsertim si natura remediis adsueta, medicamentorum, vel etiam optimorum virtutem eludit. Huic accedit, quod per pauci sint medici, qui rebelles hos morbos congruis remediis, convenienti ordine, methodo, & dosi adhibendis, recte tractare didicerunt, Plenarumque enim heroica adhibent medicamina; cum tamen instar regulæ generalioris scire licet, scorbutum, inter chronicos facile gravissimum, non validis & fortioribus, sed lenissimis & simplicissimis tractandum esse remediis.

*THESES THERAPEUTICÆ.*

§. I.

**H**Actenus de scorbuti origine, indole & eventu satis videmur differuisse, nostrum nunc erit ostendere, qua ratione atrox hic morbus commode possit averti tutoque sanari. Sicut autem duplex hic scopus in nullo facile morbo obtinetur, nisi ad arcendas & tollendas ejus causas tam proximas, quam remotas omnem intentionem omnemque remediorum energiam dirigamus: ita quoque vix melior scorbutum tum præservandum durandi datur methodus, quam quæ removendis ejus causis est dicta. Hæ ipsæ vero quum in perverso rerum non naturalium, maximeque aeris usu, unice sint querendæ; si quidem nemo unquam, nisi ab aliis sit infectus: scorbuto laborabit, qui non graves in diæta vitæque regimine errores commiserit: per se patet, ante omnia diætam rite esse instituendam, si causas scorbuti subtrahere velimus. Quod autem ut recte perficiatur, regulas nonnullas diæticas præscribere ex usu erit.

§. II.

## §. II.

*Aeris* Maxime omnium habenda est *mutatione*, ut qui ad scorbutum dispositi, vel eodem jam affecti sunt, aerem, in quo morbus prognoscitur aut fogetur, permutent: quod fieri potest, si a locis insalubribus, ubi aeris fluidum impurum, vappidum, minusque elasticum & pravis exhalationibus & copiosis nebulis referunt est, secedendo ad salubriora se conferant. Spectat *huc aphorismus* omni encomio dignissimus *HIPPONIUS LIB. VI. epidem.* expressus & a *SPONIO pag. 278.* citatus, ubi regionis mutatio in omnibus ferre morbis longis utilissima dicitur. Et experientia quoque insignem hanc utilitatem adhuc magis confirmat, qua cognoscimus, quod ii omnes, qui in locis ad scorbutum ingerandum aptis nati & diutius educati fuerunt, longe melius se habeant, si mutata priori statione, loca salubriora, quæ aerem vehunt purum, subtilem & magis temperatum, inhabitant. Neque facile hac in re accuratiores videmus observatores, quam Italos, qui pro valetudine tuenda aliud æstate, aliud autumno, aliud hieme, domicilium sibi eligunt. Sed Germani, & inter hos ipsi etiam principes, de aeris puritate parum solliciti, saepè ex locis salubribus in insalubria concedunt, ibique diu morantes morbosam corporis dispositionem sibi contrahunt. Cuique igitur scorbutico jure commendari debent loci aerisque mutationes, seu itinera ex regionibus septentrionalibus in meridionales, maximeque Italiam, Galliam &c. suscipienda. Quod si vero peregrinandi & locorum impuritatem evitandi commoda deest occasio, arte aeris fluidum est emendandum, quod ligno juniperi in camino combusto, vel suffumigio succini, carbonibus ignitis injecti, optime potest perfici.

## §. III.

*victus  
co nve-  
nic ns.* Quoad victum in primis vitentur

cibi difficilioris concoctionis duri, ut sunt carnes annosiores, infumatae, falsæ & quæ rancorem contraxerunt, pisces marini exsiccati, atque illi cibi, qui austerae & astrigentis sunt facultatis. Fugiant quoque scorbutici carnes pinguiores & quæ ad putredinem inclinant, itemque dulcia, quæ pro diversitate succorum in primis viis stabulantur vel aescunt, vellentorem contrahunt, viscerumque infarctus agent. Alia tamen ratio est cum passulis minoribus, quæ ob blandam cum subtili acido dulcedinem laxant, emollient & acrimoniam humorum temperant. Si quid vero præ omnibus reliquis magnam meretur commendationem, certe est accommodata a pleniori victu abstinentia, seu magna in cibis sumendis moderatio, præsertim in subjectis voracioribus, pinguis & sanguineo phlegmaticis; ideo quod nimia ciborum ingluvies fecunda plerumque sit pravorum succorum matrix.

## §. IV.

Ex potulentis ad nostri morbi genesin præsertim aquæ graves, stagnantes, facile putrescentes, turbidæ conferunt; quare aquæ potius puræ, leves, nec salisedine, nec calcareo terrestri elemento imbutæ, in quibus facile cibi coquuntur, ad potum debent eligi, & his cerevisæ coqui. Dici enim vix potest, quantum in locis septentrionem spectantibus noceant cerevisæ, ex insalubribus aquis confectæ neque satis coctæ, nec lupulo satis conditæ; quæ, dum facile aescunt & facillentæ evadunt, per minimos viscerum & excretiorum meatus difficer transire, magna que insuper flatuum copiam ingenerant. Vina quoque austera, quæ multum acidi in recessu fovent, omni modo vitare oportet; contra vero fragranzia & subtili spiritu animata, moderate sumta, insignem mereantur commendationem. Splendent autem hac

hac in primis virtute vinum Hungaricum genuinum & minus adulteratum, item vinum Rhenanum bona notæ vetustum, quod adhuc majoris sit efficaciam, si absynthii, cochleariæ, & enulæ essentia vel extracto imprægnatum cum moderamine interdum bibatur.

## §. V.

**Motus corporis.** Quoniam simul nimium otium seu deses sine labore vita, nimiusque somnus, experientia teste, permultum affectus nostri genesi patrocinantur, certe nec efficacius, nec certius ad eundem tam præservandum quam curandum exstat remedium, præter sufficientem motum corporisque exercitationem. Etenim, quum continua cordis systole & reciproca diaphragmatis ac thoracis actio, qua mediante simul circulus sanguinis per viscera abdominis egregie promovetur, unice vitalem fluidorum & solidorum motum sustentat ac moderatur; hunc vero corporis exercitatio, sub qua, motu muscularum aucto, contenta in ipsis fluida propelluntur, mirum quantum adjuvat: non iniquum facturus sum, si corporis motum, universale illud præsidium & remedium appello, quod naturalem fluidorum mixtionem & solidorum structuram conservat, sanguinis & humorum cursum promovet, purum ab impuro separat, adeoque omnis generis morbos, ipsumque scorbutum arcit. Consentientem hac in re habens **HIPPOCRATEM**, qui lib. II. de diæta hæc prodidit: *otium kumeftat & corpus debilitat, labor vero siccet & corpus roborat.* Cujus aphorismis ratio per se satis liquida est, & nostram de motus in scorbuto utilitate sententiam non parum confirmat. Nam ab otio omnino tardior sit sanguinis circuitus; unde humidum superfluum non sufficienter per excretoria eliminatum, fibrosas nerveasque partes relaxat: cum e contrario a labore nimiæ humiditates dissipantur;

quibus expulis tenso solidorum incrementat, majusque corpori robur accedit: Neque minus omnia, quæ vires imminuant, sanguinisque progressum tardiore ac debiliorem efficiunt, ut fere sunt nimiæ vigiliae, profundæ meditationes, intempestivæ studiorum causa suscepitæ lucubrations, nimia veneris exercitia & cœbrior ebrietas, inque primis immoderati animi affectus, ut diuturnior tristitia ac metus, cane pejus & angue sunt fugienda.

## §. VI.

Et hæc sunt præcipua in vitæ vivæ regimine tenenda momenta, quibus jam alia leniora & tutiora remedia subjungere placet, quæ causis mali scorbutici tam proximis quam mediatis removendis magis accommodata hucusque deprehendimus. Jam vero in superioribus ab unde fatis evictum est; sœva illa, quæ scorbutum comitari solent, symptomata, ab ingenti sanguinis dyscrasia sordiumque recrementiarum in sanguine & reliquis succis vitalibus accumulatione; hanc vero a tardiori sanguinis circulo & vasorum capillarium in visceribus & emunctoriis infarctu vel obstrukcione dependere. Quapropter appropriata huic malo tollendo remedia eo debent dirigi, ut humores impuros falsos, acres, sulphureos diliant ac temperent, tenaces, viscidos dissolvant, occlusos viscerum & colatoriorum meatus referent, totumque partium nervosarum ac musculorum sistema valde debilitatum corroborent. Tali enim ratione liberior, & expeditior fluidorum per omnes partes minutissimosque canales circuitus, & abhinc pendens intimæ fluidi cum solidomixtio, blandaque succorum vitalium temperies obtinetur quam optime.

## §. VII.

Summam humorum dyscrasiam à medicis, qui data opera de scorbuto scripseré, duplicit generis statui obtinetur.

Quibus tantum methodus mendicis sufficit, quæ obtinetur supra.

supra jam diximus, singuli tamen in eo convenient, ut pro falsoe dinis morboꝝ diversitate diuersa quoque medicamenta alterantia & temperantia, quæ partim acido immutando, partim sali volatili sulphureo contemplando & causticæ acrimoniae demulcendæ inserviant, præscribenda existent. Quantumvis vero allegatam salium differentiam lubenter largiar, valde tamen ridicula mihi videtur tam diuersa & anxie excogitata corundem correctio: si quidem demonstratum dabo, tantum unica, eamque tutissimam, & experientia magis conformem esse methodum salia morboꝝ cuiuscunq; generis cicurandi, quæ videlicet per convenientia fluida obtinetur; utpo te hæc cuicunque sali temperando & corrigoendo respondent abundeque sufficiunt.

### §. VIII.

Hac autem virtute inprimis splendet aqua simplex, levis & pura, quæ genuinum omnium salium diffolvens ac menstruum jure dici meretur, in quam, si debito cum regmine debitaque quantitate adsumitur, particulæ cuiuscunq; generis salinæ, in sanguine & succis obrantes, promte ac facile se immergent, ut inde perbellè diluantur, mitigentur, corrificantur. Sed præter temperantem, qua pollet aqua, virtutem, adhuc aliam in malo scorbutico exserit efficaciam, dum tenacium viscidorumque humorum coagulum dissolvit, atque exilia vasâ & colatoria ab impacta viscida materia infarcta & obstructa liberat. Longe tamen præstantior hæc aquæ attributa facultas esse deprehenditur, si quando aquæ puræ, leves ac subtiliores insuper adhuc principio quodam vel spiritu minerali, & convenienti salis neutrius vel volatilis, vel fixi alcalini copia sunt imprægnatae, uti de varii generis acidulis vel thermis, & nominatim quidem de famigeratissimis Carolinis, Egranis,

Selteranis, Wildungenib; Emsensib; &c. huic usque observare licuit. Hæ enim communis aqua multo activiores expeditius per exilissimos canalium aleveos traiciuntur, colatoria promptius subeunt, ideoque in obstructionibus reterandis sordibusque excrementiis eliminandis excellentiorem præstant energiam. Quæ cum ita sint, nullus dubito adferere, in fontibus soteriis universale scorbuticæ affectio nis præsidium esse constituendum, maxime cum longa & constans experientia me in hac sententia adhuc magis confirmat; utpote qui jam per triginta & plures annos non modo ad pertinaces chronicas, maximeque hypochondriacas & hystericas passiones, cum scorbutica quadam impunitate junctas persanandas, verum etiam ad scorbutum jam confirmatum evelendum, mineralibus aquis tam frigidis quam calidis summo cum ægrotantium emolumento usus sum. Longe tamen certior ac præstantior subsequitur effectus, si harum aquarum virtus accuratori vitæ victusque regimine, & appropriatis medicamentis antiscorbuticis ac balsamicis adjuvetur, & aliquoties talis curatio repetatur.

### §. IX.

Quandocunque vero copia, locus & occasio fontibus his medicatis utendi deficit, sola aqua fontana, puriore & leviore, cura nostri affectus feliciter poterit institui. Magna enim in refractariis morbis debellandis aquarum est efficacia, si modo sint puriores vel subtili, martialis prosapiae, elemento imbutæ; id quod cum primis felicissimæ & scorbuti & aliorum rebellium morborum per fontem Lauchstadiensem, duobus milliari bus Hala distantem quotannis institutæ curationes luculenter possunt ostendere. Continent hæ aquæ subtiliorem martis crocum, quo tonus fibrarum motricium universi corporis relaxatus egregie roboratur, & hac ratione sanguinis per universum cor-

per a-  
quam  
impli-  
cem pu-  
ram.

per fon-  
tesote-  
rios.

Per  
Lauch-  
stadien  
ses.

corpus ejusque minima vascula circuitus una cum salutaribus excreti-  
nibus egregie promovetur; idque tan-  
to magis, si non tantum interne,  
sed etiam externe haec aquæ adhiben-  
tur. Unde simul edocemur, quod  
antiqui xvi medici, & inter hos po-  
tissimum CELSUS lib II. cap. IX.  
& SCRIBONIUS LARGUS cap.  
XXXII. ad lienes magnos, & affe-  
ctus, qui inde oriuntur, coercen-  
dos, potum aquæ, in qua candens  
ferrum subinde extinctum fuerit,  
non sine ratione tantopere commen-  
daverit.

§. X.

Conve-  
nit etiam  
lac vel  
solum. At vero præter aquas minerales  
in corrigenda scorbutica acrimonias  
se instar summi gerit remedii lac an-  
mantium, & præcipue asinintum,  
quod etiam antiquissimi medicinae  
antistites, HIPPOCRATES, GA-  
LENUS, ARETÆUS, CELSUS,  
in suis scriptis, ad varias chronicas  
maximeque ab acrimonia oriundas  
passiones vincendas miris encomiis  
extulerunt ac laudarunt. Neque de-  
sunt ex recentioribus peritissimi me-  
dici, qui idem confirmant, & in  
scorbutica lue lac, præcipue asini-  
num, vel serum lactis bubuli aut ca-  
prini, ceterum summe specificum & ap-  
propriatum remedium commendant.  
Qua de re DRAWITZIUS, BAL-  
THAS. BRUNNERUS, EUGA-  
LENUS, WIERUS, SALOM.  
ALBERTI, MATTH. MARINI,  
qui perite de hoc nostro affectu scri-  
pserunt, legi possunt; utpote qui ad  
unum fere omnes candidè fatentur,  
sola diæta lactea, vel sero lactis an-  
tiscorbuticarum herbarum succo per-  
mixto & diutius usurpato, se plus  
in scorbuto ejusque symptomatibus  
mitigandis præstissem, quam omnibus  
fere aliis auxiliorum generibus:  
imo etiam molestissimo hoc malo  
tabescentes plus virium inde haufi-  
se, quam ex optimis roborantibus.  
Neque hujus effectus ratio conceptu  
est difficilis. Sicut enim lava illa

*Hoff. Syst. T. IV. P. 5.*

scorbuticorum pathemata, ut sunt  
lancinantes, & spastici artuum do-  
lores partiumque externarum erosio-  
nes, & exulcerationes, non nisi hu-  
morum summæ dyscrasiae, & nego-  
tio excretionum naturalium, quæ per  
cutim, alvum, hepar fiunt, immi-  
nuto, neque minus obstructioni va-  
forum originem debent; ita certe ad  
meatus occlusos referandos, tenaces  
humores dissolvendos & acres falsos  
contemperandos nihil aptius est di-  
luentibus, demulcentibus, & fluxi-  
les humores ad transpirationem aptos  
reddentibus: inter quæ utique lac  
asinum, quod reliquis dulcius est,  
vel lactis caprini aut vaccini serum  
principem merentur locum, præser-  
tim quando herbae antiscorbuticae,  
ut cochlearia, & nasturtium aquati-  
cum, quæ, præter sal volatile, ama-  
rum elementum fovent, cum eo in-  
funduntur vel leniter decoquuntur.

§. XI.

Quandocunque vero cum diathefi  
scorbutica viscerum infarctus, & ca-  
chesia, vel affectio hypochondriaca  
& purpura, quod særissime fit, con-  
jungitur, tunc melius succedit cura-  
tio, si lac cum aquis mineralibus aci-  
dulis, tam mitioribus, ut Selteranis,  
Wildungenibus, & Tœnstei-  
nensibus, quam etiam cum fortiori-  
bus, ut sunt Pyrmontanæ, Egra-  
næ, miscetur, & hac ratione sub  
debito vitæ, & victus regimine bi-  
bitur, de qua cura saluberrima dis-  
sertatio nostra de connubio equarum  
mineralium cum lacte conferri po-  
test.

§. XII.

Verum enim vero, præter hæc respec-  
tiva auxiliorum genera, comme-  
daria etiam sunt quædam ex antiscor-  
butica pharmaceutico fonte desumpta, &  
in primis specifica sic dicta antiscor-  
butica: in quorum numero non im-  
merito veniunt, cochlearia, &  
omnes nasturtii tam hortensis, quam  
aquatici species, beccabunga, ra-  
phanus rusticanus, rad. armoracæ,

B fina-

sinapi, & hujus generis alia, quæ subtilissimo principio salino-sulphureo referta, intima corporis penetrant, & fluidis pariter ac solidis partibus vitiatis ingentem mutationem inferunt; siquidem tenaces viscosos humores dissolvunt, fixos acidos exaltant, subtilioresque reddunt, & solidis nimium relaxatis tonum, vigorem ac motum restituendo, vapescēt corruptionem a corpore arcent. Variæ autem ex his simplicibus præparationes prostant, & in usu sunt. Quidam enim aquas ex his, quidam spiritus per fermentationem aut abstractionem inde parant. Alii iterum ex recentibus concisis, & madefactis succos exprimunt, quos vel per se cocheleatum, vel debito cum vehiculo, ut est serum lactis, propinant; alii ipsorum cum alimentis miscent, & iusculis ac brodiis carnis incoquunt, vel cerevisis in fermentatione adjiciunt, imo etiam cum saccharo conservas ex iis conficiunt; prout nempe diversa circumstantiarum ratio requirit, quam judiciosus medicus data occasione debet attendere.

## §. XIII.

*Amararoborantia.* Sequuntur jam alia magnificaæ famæ adversus scorbutum remediorum genera, de quibus judicium nostrum exponere placet. Atque hujus generis sunt ex amaris maxime radices gentian. eichor., herbæ scord. card. bened. absynth. cent. min. trifol. aquat., ex balsamicis, & roborantibus baccaj juniperi, summitates abietis, & pini, cort. w inter. cascarill. chinæ, capparum, herbæ scopolend. veron. marub. alb. epithymum, radices enul. zedoar. ari &c. ex gummatibus ammoniacum, sagapenum, galbanum, ex lignis sassafras, quajacum, aloes &c. quæ si vel in substantia, vel melius in infuso, & decocto, aut etiam in esferiam vel elixiria redacta, congruo tempore, ordine ac dosi usurpantur, vires ad mitiganda sympto-

mata morbumque debellandum exercunt insignes; utpote principio, quo gaudent activo, blande sulphureo, balsamico, circuitum sanguinis depressum excitant, & intemperiem viscidiā, & acidam quam optime corrigunt.

## §. XIV.

Hæcce excipiunt alia, quæ in no- Emol-  
stro affectu non minus utiliter ad- lenta ac  
hiberi solent remedia. Et hæc ejus doloris  
sophientia naturæ ac indolis, ut partim sia-  
principio blande sulphureo vaporoso, partim emolliente ac temperante virtute spasmis ac doloribus leniendis, & sopiaendis inserviant: quo nomine a quibusdam auctori- bus axungiae animantium recentes, præsertim humana, canina, medullæ ossium, tremor lactis, oleum amygd. dulc. sine igne, sperma ce-  
ti, castoreum, asa foetida, extra-  
ctum millefolii, chamomillæ vul-  
garis, theriaca coelestis, discordium Fracastorii, crocus, lumbrii ter-  
restres, rasura dentis hyppopotami,  
ungulæ alcis &c. commendantur,  
ex quibus varia in forma liquida  
præparari, & cum fructu pro diver-  
sa morbi, corporis ægrotantis, &  
temporis ratione usurpari possunt.

## §. XV.

Diximus hactenus de scorbuti cu- Evacu-  
ratione, quatenus per ea remedia, antia.  
quæ humores crassos attenuant, &  
incident, acres falsos contemperant,  
meatus obstructos aperiunt, & relaxatas partes roboran, debet insti-  
tui. Jam operæ erit pretium, ut  
etiam de evacuantibus, quorum pla-  
ne nulla facta est mentio, nostram  
depropinquamus sententiam; idque eo  
magis, quia ab excretionibus natu-  
ralibus, quæ per alvum, urinam,  
& transpirationem, per uterum quo-  
que, & venas hemorrhoidales sunt,  
imminutis, vel prorsus suppressis pri-  
mam nostri mali originem derivavi-  
mus. Quod primo itaque loco ad vanase-  
sanguinis missionem attinet, quæ filii, &  
per venarum brachij vel pedis inci-  
sio-

sionem, per scarificationem aut hirudinum ad positionem perficitur, experientia duce asserimus, summa cum cautione, & prudentia hoc evacuationis remedium esse administrandum, omnesque circumstantias proibe ponderandas. Si enim status est plethoricus, morbus recens, corpus juvenile, & in viris a fluxu haemorrhoidal, in feminis a menstruali cefante vel suppresso originem dicit, utique peritus medicus congruis in locis sanguinem detrahere tuto poterit. Quodsi vero, ut in mali progressu sepe accidit, seri magis impuri, & corrupti peccat copia, tum certe emissio sanguinis, praesertim in paulo largiori copia instituta, vires labefactando, plus damni quam emolumenti afferet. Si vero quædam minuendi sanguinis indicatio adest, & potissimum dolores, tumores variæque partium defædationes tales depletionem urgent, tutissime hæc obtineri poterit, quando sepius, sed non adeo copiose, vel rectius adhuc per scarificationem sanguis detrahitur: quæ methodus, sicut tutissima est; ita nobis in curandis morbis gravioribus admodum semper plauit.

## §. XVI.

LXXXI.  
tia. Quod attinet ad alia evacuatum genera, & quidem purgantia, de his nostra cum aliis peritioribus medicis hæc est sententia, quod omnibus validioribus exclusis, lenissima tantum in usum vocare debeat, cuius census sunt rad. polypod. fol. fennæ, agaricus, rhabarbarum, manna &c. quæ cum speciebus antea recensitis antiscorbuticis debito modo commixta, & per infusum, aut lenem decoctionem usurpatæ, noxios humores ex primis viis blande, & per epicrasin educendo, opem omnino præstant utilissimam. Quo pertinent etiam pilulæ polychrestæ balsamicæ secundum exemplar Beccarianarum, ex aloë bene depuratæ, extracto rhabarbari, herbarum ama-

ratur, & temperatiōribus balsamicis ingredientibus paratae debitoque tempore cum vel sine interpolatis pulveribus absorbentibus, & salibus digestivis usurpatæ. Idem tenendum arbitror de diureticis, quorum fortiora propter nimiam feri evacuationem in cura penitus repudiare oportet; seligenda vero sunt, quæ leniter viscidos, & tartareos humores educunt: quo nomine decoctum rad. V. aperientium, praesertim petrocelini, sellerie, fenniculi, alparagi, quæ etiam ab antiquioribus medicis, HIPPOCRATE, & ARETAEO adhibita sunt, commendari merentur. Idem valet de diaphoreticis, quorum optima sunt, quæ transpirationis vias aperiunt flexilesque reddunt, & sanguinem ac humores ad superficiem corporis movent; rejectis iis, quæ humores fortiter commovendo, & exagitando per nimium sudorem serum cum viribus nimis subtrahunt. Commodissima igitur sunt sic dicta diapnoica, quæ transpirationem leniter promovent, cuius generis sunt, liquor bezoard. Bussii, cum spiritu nitrid. spir. tartari, mixtura simplex, spiritus C. C. succinatus cum tribus partibus liquoris anodynī mineralis, & spiritus cochleariæ permixtus, flores sulphuris, æthiops mineralis, infusum herbae thee, veronicæ, cardui bened. scordii, florum sambuci, antimoniū diaphoreticum, cerussa antimoniū, C. C. sine igne, C. C. ustum, succinum, bezoar. mineral., regulus antimoniū medicinalis, cinnab. nativa, & antimoniū; ex compositis vero pulvis Anglicanus, LUDOVICI, bezoardicus noster, quibus interdum pro circumstantiarum ratione dimidium vel quarta pars grani camphoræ potest addi.

Diureticæ.

Diaphoreticæ.

**CAUTELÆ ET MONITA  
PRACTICA.**

**§. I.**

**Cause-** **H**is igitur, quæ ad generalem <sup>freatica</sup> randi methodum pertinent, ex his dicta positis, reliquum est, ut specialio-  
antiscor-rem, & certis individuis propriam  
<sup>buticæ</sup> cum necessariis cautelis subjungamus. In scorbuto sic dicto calido, qui sub constitutione cholERICA, diæta vino-  
fa, & ætate juvenili vigens, ingen-  
tem particularum biliosarum, & sul-  
phurearum in massa sanguinea abun-  
dantiam supponit, specifica antiscor-  
butica, salse sulphureo volatile tur-  
gida, præcipue cochlearia, & ejus  
spiritus, aliaque volatilia oleosa sum-  
ma cum cautione offeri debent. Ete-  
nim quum salium in sanguine impuro  
spicula acuendo inque concitatiorem  
motum agitando, symptomatum ex-  
acerbationem efficiunt, capitis artuumque  
dolores, anxietates ac lienis infla-  
tiones arcersunt, ideoque magis  
obsunt, quam proflunt. Quodsi vero cum acidis, ut sunt acetosella,  
succus citri, aurantiorum, berberum;  
granatorum &c. ad temperiem redi-  
guntur, tutius exhiberi possunt. Ita  
conserva cochlearie, cum æquali  
parte conservæ acetosæ mixta, & bis  
vel ter in die, superbibendo aquam  
antiscorbuticam, adsumta egregium  
præstat effectum, maxime si in ca-  
lidis, & biliosis subjectis humectans  
diæta, quæ ex lacticiniis, emulsi-  
nibus amygdalinis, hordei & avenæ  
decoctis, brodiis gallinarum cum la-  
ctuca, endivia, acetosa, nasturtio  
&c. paratis constat, simul conjunga-  
tur, & remedia vesicam, & alvum  
leniter subducentia interponantur.  
Notandum tamen in genere hoc lo-  
co venit, quod cura cum antiscor-  
buticis herbis, & earum succis sive  
per se, sive cum vehiculo convenien-  
ti mixtis instituta satis diu continua-  
ri debeat.

**§. II.**

Quando in scorbuto salia muria-  
tica peccant, sicuti fit in iis, qui car-  
nibus sale conditis fumoque indura-  
tis copiose vescuntur, & alvera exe-  
denta, fœtorem oris, gingivas pu-  
tridas urinamque salsam, & crassam  
habent, uti maxime in dñi navigan-  
tibus observamus, tum serum lactis  
largius, & satis diu haustum, nec  
non poma citria, chinensis, item fru-  
ctus horæi multum præstant utilitatis;  
cum e contrario spirituosa, & antiscor-  
butica volatilia damno esse soleant.

**§. III.**

Crudeles sæpe numero dolores in abdome lancinantes, in pectori oppressorii sœviunt, qui minime carminativi, vel calidioribus medicamentis debent tractari; sed juvat tan-  
tum liquorem nostrum anodynum, vel elixir antispasmodicum, ex dicto liquore, essentia croci, & castorei compositum convenienti dosi per vi-  
ces adsumere. Præter hæc vero bro-  
dia galliarum cum oleo amygdala-  
rum dulcium, & spermate ceti ad-  
sumta, serum lactis cum radice al-  
theæ floribus papav. rhizados, & lumbri-  
cicis terrestribus coctum, decocta ave-  
nacea, & clysteres emollientes ex lacte addito croco, & pauxillo castorei,  
omne absolvunt punctum. Non mi-  
nor opus est cautione, si, ut sæpe  
fit, spontaneæ adsumtæ evacuationes  
e. g. diarrhœæ: utpote quæ leniter  
tractatæ magno plerumque sunt le-  
vamini, cum contra præmature co-  
hibitæ anxietates cardialgicas, tor-  
minosas hypochondriorum inflatio-  
nes, viscerumque infarctus post se  
relinquant.

**§. IV.**

Opiata nonnisi purgantibus, vel alexipharmacis correcta, ad immanes opiate  
dolores sedandos vigiliasque placan-  
das, exigua quantitate & tantum bis vel ter exhibere licet, eo potissimum  
fine, ut vires conserventur, quas, ce-  
santibus doloribus, æ gri melius reci-  
piunt morboque vincendo sic pare-  
sunt,

**§. V.**

Circa  
topicæ.

## §. V.

Topica in doloribus, exulcerationibus & maculis plus sœpe nocent, quam profunt; quod quidem potissimum animadvertere licet in arthritide vaga, ubi externa sine discriminè applicata, materiam vitiosam ad interiora maximeque nervosas partes repellendo, gravissima sœpe symptomata, ut in capite vertiginem, auditus difficultatem, in pectori spirandi angustiam, in stomacho cardialgias, in intestinis fœvissima tortura, imo nonnunquam horrendas artuum convulsiones, producunt. Præstat itaque a topicis tum penitus abstinere, & affectas partes linteis calidis involutas in æquali tantum transpiratu fervare. Quodsi tamen nihilominus ulcera crustosa nigra externam polscunt medelam, imitandus est EUGALENUS, qui prudenter monuit, ut, omissis omnibus aceribus, leniora solum, que ex vitello ovi, myrra, olibano, croco, oleo rosarum, balsamo Peruviano &c. parantur, in usum ducamus. Scorbaticis quoque, si jam nimia & ad corruptionem tendens humorum impuritas adest, magna cum causione scarificatio imperanda est, ob gangrenæ metum, quæ aqua calcis vivæ cum spiritu vini camphorato & sale ammoniaco exaltata optime potest averti.

## §. VI.

Circa tumores, & infiammatio-  
nes.

Ubi summa humorum adest corruptio, tumores & inflammationes quam facile in ulcera abeunt rebellia, quæ non parum negotii & molestiarum medentibus & ægrotantibus facessunt. Ubi corpus siccum & sensibile est, ob dolores & spasmos facile fiunt febres carnem viresque consumentes; ubi spongiosum phlegmaticum & pingue, in putridam humorum corruptionem desinunt, quæ instar sphaceli serpit & progressu temporis summam, imo funestam virium prostrationem producit. Quapropter prudens medicus non tantum appro-

Hoff. Synt. T. IV. P. 5.

priatis & convenientibus externis, sed potissimum internis sanguinem depurantibus, & putredini resistentibus remedii prudenter debet succurrere. Cavere quoque & medicus & chirurgus debet, ne nimis cito & mature tumores inflammatorios ante sufficientem suppurationem aperiat: cito enim in pinguibus & humidis putrida nascitur corruptio.

## §. VII.

Ad gingivas putridas & sanguinolentas tam depurandas & consolidandas, quam ad dentes vacillantes firmandos, nihil reperi præsentius, balsamo vitæ nostræ compositionis, si hujus una pars cum tribus partibus syrapi aurantiorum remixa gingivis illinatur. Hoc autem deficiente effientia succini, myrræ, spiritus vini camphoratus, & spiritus salis dulcis cum melle commode possunt substitui. Lenior quoque scarificatio in tali casu sœpe prodest, ut inde materiæ intus contentæ ichoroſe paretur exitus: nec opera luditur, si in tumore gingivarum sanguinolento, unguentum ægyptiacum cum melle rotato & spiritu cochlear. externe applicantur. Interne vero decoctum raphani rusticani ex lacte, vel cerevisia cum strobulis pini cocta usum afferunt desideratissimum.

## §. VIII.

Quando mitigatis symptomatibus morbus jam inclinare & a ferocia sua videtur remittere, *Mattæus MARTINI Tractatu de morbis mesentericis apprime utilia cenſet balnea aquæ dulcis pluvialis; quæ diutius, & quidem ex admonitione FERNELLI observat.* 44. per decendum & ultra continuare jubet. Neque facile reprobare audeo saluberimum hujus viri consilium, præsertim cum de proficuo balneorum in scorbuto usu certiore me reddit *Clarissimi VOLCKAMMERI Senioris observatio in Decur. II. ann. VI. M. N. C.* repe- riunda, ubi vir hypochondriaco scorbaticus balneo ex aqua dulci, cum

Balneorum au-  
tus.

B 3

her-

herbis emollientibus decocta parato, maneque & vesperi adhibito, post triduum ad se rediisse & vires recepisse dicitur. Aquæ vero balnei, gravissime sc̄ententi innatavit saburra nigricans crassa cum acredine, quæ in dies majora sumit incremenra. Ad tumores duros & dolorificos pedum erutumque emolliendos ac discutendos balneum ex herbis antiscorbuticis beccabung. nasturt. cochleariæ a succi expressione relictis, ut & ex summitatibus abjetis & pini paratum crebriusque adhibitum summe proficuum deprehendi.

## §. IX.

*Circa balnei tam artificialia quam naturalia.* Ego vero hoc unicum tantum habeo, quod circa usum balneariorum tam naturalium, quam artificialium moneam, ne primo unquam adhibeantur, si jam putrida quædam humorum corruptio in partibus externis conspicitur; dein, ne justo calidiora sint & corpus ad multum sudorem disponant. Sequuntur enim exinde, presso quasi pede, summa artuum laſtitudo, sitis intensa, cordis palpitationes & cephalalgæ; quibus si quis per potum frigidorem aliaque refregerantia succurrere velit, periculum est, ne tonus ventriculi & intestinorum mirifice inde destruatur.

## §. X.

*Com. mendetur par hoc affectu.* Multi scorbuto detenti, scribitur MARTINI loc. cit. durante curationis tempore, parum vel modicum tantum sentiunt emolumenti, dimicantis vero medicis & medicamentis, sanantur: natura enim ex medela debilis, recuperatis post curationem viribus, ad morbum vincendum magis valet. Quod quidem monitum suo jam tempore antiquiores medici probe agnoverunt & ceu utilissimum monitum in variis morbis tollendis commendarunt. Unde AETIUS lib. II. Serm. 2. cap. III. & RHASES per tres interdum septimanas a medicina abstinentem suadent, ARETÆUS vero, cedentibus medicis, multos morbos sanari adserit. Quam

insignem observationem ego ipse sa- pius in multis chronicis affectioni- bus, præsertim vero in hypochon- driaco & scorbutico malo depellendo certissimam deprehendi. Valet enim & semper valebit elegantissi- mum CELSI dicerium: *optima in- terdum medicina est, medicamento non uti.*

## O B S E R V A T I O I.

## Enarrationes Morborum.

**F**Emina honesta quinquagenaria, Singula- ris sanguinis & pinguedinis plena, sanguinis & pinguedinis plena, naturæ sensibilioris & ad iram pro- clivis, sub vitæ genere immobili vi- etum duriorem falso, ut sunt car- nes & pisces infumati, nec non fru- etus horæos, quos jam mane inge- rebat, admodum habebat in deli- ciis. Potus erat cerevisia valde fa- turata, plerumque faculenta; cuius noxiam avertere cogitabat vino acido, cum sacchari portione remixto: somnum habebat largiorem, sed tur- bulentum, & animum magna affec- tuum intemperie perpetuisque fere curis distractum. Menstrue purga- tiones jam a trigesimo quarto anno cessarant, a quo tempore singulis annis venæ sectionem admisit, jam vero per triennium omisit, unde varia eaque graviora experta est pa- themata, qualia sunt ingens præcordiorum anxietas, spiratio ægerrima, continui ructus cum impetu inter- dum ex ore erumpentes, & phlego- ses post pastum faciem infestantes. Præter hæc de acuto dolore & ardo- re circa præcordia, noctu potissimum conquerebatur: maculæ quoque fla- væ hinc inde in corpore dispersæ & præcipue in facie & hypochon- dro dextro conspicuæ cum languore totius corporis apparebant, imo demum pedes tumor cum dolore in- tolerabili occupabat. Enimvero con- tra hunc affectum varia præscripta sunt remedia, ut ex volatilibus, spi-

spiritus cochleariæ, sal volatile Sylvii, liquor C. C. succinatus, interpolatus quoque fuit usus apozematicum, ex leniter evacuantibus & sanguinem depurantibus confectionerum, a quorum usu quodammodo melius habuit, ut surgere de lecto & ad consueta redire negotia potuerit, remanente tantum insigni manuum pendulique stupore. At quam anno sequente mense Februario sub austriana & pluviosa cœli tempestate, vini enulati potui supra modum fere indulgeret, non ita multo post sub mammis & axillis pustulæ erumpabant ardore & pruritu molestæ, quæ successively coeuntes concrescebat, cutem arrodebat & exulcerationes cum foeda putredine efficiebat. Hisce jungebatur febris, quæ circa vesperam aucta novam pustularum eruptionem, continuam sitim, somni defectum, pulsuum celeritatem, & frequentiam, saturate rubicundum urinæ colore, pertinacem alui adfrictionem, & cruciatum propter ardorem intolerabiles fere inducebat. Pustularum aliæ, magnitudinem ovi gallinacei, vel tenui intestinali inflati æquantes cum sibilo quasi flatu, (ut exprimebat ægra) e corpore erumpabant, totæ erant transparentes & instar illarum, quæ per ambustionem excitantur, aqua replete; unde etiam acu vel forcipe apertæ insignem ichoris putridi ex viridi lustrali, cutim substratam arrodentis fundebant copiam: aliæ contra minores subobscuri nigri videbantur coloris. Sedem habebant vagam: siquidem non modo thoracem, abdomen & artus, sed faciem quoque, imo nasi & faucium interiora obsidebant. Medicus consultus nihil quidem, quod ad impuritatem humorum emendandam, ad viscidos, & falsos humores temperandos, & dolores leniendos conferre potuisse, omisit, pustulas quoque, quæ circa vesperam quotidie prodierant, postero die mane aperiendas, ilisque

pulverem exsiccantem, ex lapide caſaminari, tutia, C. C. usto & mastice compositum inspergendum curavit, sed impedire non potuit, quin novæ singulis diebus pustulæ, non quidem in pristinis, sed vicinis locis rursus protuberarent; donec tandem post mensis decursum, vi morbi defervente, omnia in melius convertebantur & ægra sensim paullatimque convalescebat. Per astutem, quæ sequebatur, bene valebat, præter quod scabies humida manus infestaret. At vero, quam palato rursus ninium indulgens fructibus horæcis se nimium replebat, nec ab iracundia affectu sibi tempore rabat; denuo febrilis recurrebat æstu, sub quo, ut antea, a vespera ad medianam usque noctem pustulæ cum magno ardore molestissimoque pruritu emergebant. Per medicamenta temperantia, acidula, diluentia leniaque diapnoica & anodyna denuo ægra per dimidium fere anni se a molestissimo hoc affectu liberam videbat, donec tandem ira iterum commota, cui frigidum potum superingessérat, pristinam accerserbat tragœdiam.

## EPICRISIS.

Morbus hic pustularis rarissimus omnino paulo accuratiorem meretur evolutionem. Si ex veteribus GALENUM, CELSUM & AVICENNAM, qui quam optime foedas cutis exulcerationes pustularumque species descripsérunt, consulimus, apparet, vesicas illas magnas, in nostra ægra phylænas esse nominandas, quibus deinceps vesiculae minores nigrantes, epiniætides se intermiserunt. Ante omnia vero probe notandum est, humorum illum aquosum, qui insigni quantitate ex vesicis stillabat, mox in gelatinam concrevisse, cujus portio cochleari indita, admoto leniori ignis calore in offam albam instar albuminis ovi

cocti coibat; unde patet, illum ipsum ex sero falso excrementio cum nutritia lympha commixto constitisse. Idem contingit cum humore, qui ex vesicis post adustionem vel cantharidum applicationem fundi solet. Quemadmodum vero ab igne, vel sale cantharidum accipitimo dissoluta cutis vascula talem humorum fundunt; ita quoque salia corrosivæ indolis, in corpore humano ex virtuoso victu enata & febrili æstu ad habitum corporis propulsâ, rodendo ac lancingin fibras ac vascula, eadem phænomena excitare possunt. Quod circa vesperam præcipue paroxysmus redierit, hæc videtur ratio, quia omnes morbi, qui a salina acri materia foventur, ut catarrahes febres, magis de noctu, quam de die infestant, quoniam tunc minus expedita, sed valde tarda ac lenta sanguinis ad exteriora est progressio & perspiratio difficilior. Surrexit vero malum ad usum vini enulati, quia hæc radix acri volatili sulphureo elemento imbuta fortiter sanguinem commovet, & ad superficiem propellit; hinc etiam inter sudorifera & alexipharmacæ principem sibi locum vendicat. Primam huic malo originem præbuit mala diæta; utpote in qualitate & quantitate tam esculentorum quam potulentorum graves commissi sunt errores. Quo magis enim a dulci & temperata indole alimenta decedunt, eo impurior & minus naturæ congruus chylus, qui sanguinis materia est, conficitur; quo vero sanguis crassior est atque impurior, eo majori cum difficultate per debita colatoria, præsertim sub deficiente corporis motu & exercitatione animique pathematum intemperantia depuratur. Accedit in præsenti hoc casu, quod anno trigeminò quarto menses jam emanferint; unde mox presso pede primo nimia humorum in vasis accumulatio, & hanc postea cacochymia sequuta est, præsertim cum consueta venælectio

fuerit omissa. Recte enim scribit PRIMEROSIUS lib. III. de morb. cap. V. pag. 176. Mirum non est, mulieres, quibus in juventute menstrua suppressa fuerant, tandem, si prava virtus ratio accesserit, atate ingravescente scorbuto affici. Crebrior hujus affectionis recurvus, me judice, non aliunde, quam a prava diæta debet deduci, quod sit, quando morbus ejusque causa, quæ in hoc casu in vitio viscerum maxime sita, non integre fuit sublata & ægri istis rebus, a quibus morbus originem sumvit, quas inter prava virtus ratio potissimum valer, rursus inhærent. Inprimis vero nostræ agrotæ infensa admodum fuit, malumque de novo prodixit impetuofus iracundia affectus. Hic enim primo per se sanguinem intensissime commovet, & febrilem quasi accessionem efficit, quæ cum magna vi humores ad exteriora propellit: dein sub ira ordinario biliosus humor magis commovetur, magna copia in intestina effunditur; unde inclinatio ad vomitum, oris amarities, nausea, constrictio subserbiculo cordis, & alia mala proveniunt. Si vero deinceps vitiosa bilis ipsi sanguini admiscetur, naturalem ejus crasin, quæ temperata esse debet, vehementer inquinat, & fermentum quasi ac seminium morbosum convertit. Quod ad curandi methodum attinet, recte medicus a fortioribus, sive per sudorem, sive per alvum & urinam evacuantibus abstinuit, sed lenioribus tantum usus est remediis, quæ turbas non movent, nec malum exacerbant. Ego in ejusmodi casibus præmissa, si vase turgent, venælectione & præmissis lenioribus laxantibus sanguinemque depurantibus, summo cum fructu commendavi potum aquarum mineralium vel cum, vel sine lacte, conjuncta simul accurata diætæ vicetusque ratione, & elixir balsamico temperato post paustum sumto instituendum. Quod si vero occasio ejusmodi

modi aquis utendi defuit, serum lactis caprini acidulatum, cum succo herbarum antiscorbuticarum mixtum & exaltatum ad mensem, & ultra substituere jussi. Quod ad externa attinet, si vesiculæ fuerint apertæ, linimentum, quod alias contra ambusta celebratur & ex oleo lini, albumine ovorum, croco, cerussa & pauxillo sacchari saturni compositum est, provide applicari potest. Probe enim hoc loco notanda est cautela, insersionem pulveris exsiccantis ex bolis & terreis confecti in talismodi cutis erosæ affectibus non semper adeo tutum ac fidum relinquere effectum, partim ob id, quod, gelatinoso illo succo glutinis in formam compacto, transpirationem penitus impedit, partim etiam, quod a tergo effluentia materiæ nullum permittat exitum; unde hæc conculca & mora pejor redditæ, ulterius serpendo subnexas partes corredit.

## O B S E R V A T I O II.

Scorbutus pustularis in plethora a nimio suore. **E**mina triginta annorum vegeta, sanguine & succis plena, per longum abhinc tempus vitam egit sedentariam, & largiori ciborum, valde nutrientium fructuumque horæorum comeditione admodum est delectata; nihil tamen unquam molestiæ inde persentiens. Interea quum aliquando graviori, eoque diurno afficeretur mœrore, mox mensum fluxus, satis aliquin copiosus, succedebat parcius, noctes ducebantur insomnes, & inopinato in cruribus maculæ, instar manus latae emergebant cœruleæ, imo paulo post universi corporis superficies pustulis suffundebatur rubicundis, sanguinem, & acre serum stillantibus. Præter hæc, tota cutis squamosa supra modum erat sensibilis, adeo ut vel a levissimo aura frigidioris afflatus summae perciperentur anxietates, cum

contra paulo calidius regimen ingentem excitabat pruritum. In artubus quoque noctu exquisiti sœviant dolores, sub sudore plerumque ingraevescentes: urina ad livorem, & nigredinem accedens secedebat crassissima, ex ore fœtor exhalabat vix tolerabilis, & caro gingivarum relaxata putridoque squatore obsita nonnunquam sanguinem fundebat nigrum pessimeque olen tem. Ego itaque in consilium adhibitus primo præscripti decoctum ex radice chinæ, sartaparill. rafura ling. sassafras, herba veron. & scordii confectum, cuius largam ægra copiam singulis diebus mane cum salis volatilis oleosi guttis sexaginta debuit adsumere, lenemque postea sudorem in lecto expectare: ubi tamen ceu peculiare phænomenon attendendum est, quod a salis volatilis usu per duos tantum dies continuato, urina turbida cum sedimento mox in limpidam croceam fuerit mutata, & postea, eodem medicamento vel parcius dato, vel plane seposito, statim turbulenta urinæ crassities redierit. Quæ cum animadverterem, hanc medicinam bis vel ter in die suasi repetendam, & interdum hujus loco spiritum salis, & vitrioli dulcem substitendum. Ante decubitum ordinavi pulverem ex lapidib. cancror. cerussa antimonii, succino, cascarilla, nitro & cinnabari compositum, & bis in hebdomade pilulis polychrestis balsanicis, mercurio dulci remixtis alvinas sordes evacuandas statuit. Nec me frustrata est hæc medendi methodus. Siquidem ægrotæ per mensum his medicamentis usæ, subjuncto balneo, pristinæ sanitati ex votio fuit redditæ.

## EPICRISIS.

Præfens hic affectus scorbuti pustularis nomen jure meretur, optime que testatum reddit, quanta sanguinis impuritas saliumque excrementiorum copia in atroci hoc morbo generetur; utpote non modo pustulae ulcerosæ, sed & crassa urinæ consistentia omniaque reliqua symptomata exinde sunt derivanda. Causam eximiæ sanguinis dyscrasie in impeditorio sanguinis circuitu unice est reponenda, quem in nostro quidem casu præter plethoram, sub vicetu opiparo & sedentaria vita accumulatam, longior animi tristitia induxit, quæ præ ceteris remorandæ sanguinis circulationi & naturalibus sordium inutilium se & excretionibus suppressimendis admodum velificatur: unde dein non potest non tota humorum massa vappida corruptaque fieri, tantaque symptomatum syndrome adornari. Tam facilis autem & intra mensis spatum peracta hujus morbi sanatio activiori naturæ robori, quo ægra pollebat, est tribuenda: semper enim facilius subiecta valentiora, in quibus motuum vigor adest, quam imbecilliora morbos tolerant & superant. Ceterum attentione digna est salis volatilis oleosi in acceleranda curatione energia, quam per urinæ mutationem præsttit. Ita autem, me judice hujus effectus ratio videtur explicanda. In omni scorbutico malo naturalis sanguinis spirituascentia, ab intestino ejus motu dependens, nimis est depressa; quam cum ejusmodi medicamentum insigniter erigit, putredinemque imminentem prohibet; non mirum esse debet, cur in depellenda huc scorbutica tam excellenter se gerat. Hinc quoque in aprico esse credo, ea omnia in scorbuto utilissima esse remedia, quæ sale volatili turrida, sanguini vigorem deperditum restituendo, putredinem arcent, ut

fere sunt sic dicta antiscorbutica, & nominatim cochlear. nasturt. beccab. rad. armoraciæ & hujus generis plura alia.

## OBSERVATIO III.

**V**ix sexaginta annorum, constitutionis sanguineæ, habitus corporis strictioris, qui vitæ addictus sedentariae, falsam duramque diætam valde habuit in deliciis, & externi caloris impatiens hactenus in locis dedit frigidioribus, bis quotannis circa æquinoctia, licet non penitus omissa venæsectione, immodecum naribus defluxionem, usque ad animi interdum deliquum, per aliquot annos passus est. Superiori vero autumno, cum venti borealis regnabat intemperies, in nucha doloribus corripiebatur rheumaticis; quare medicus consultus mixturam ordinabat diaphoreticam, extinctura antimonii tartarisata & spiritu C. C. succinato compositam, quam non modo circa decubitum, sed mane etiam in lecto, ad sudorem movendum, pondere L. guttarum per aliquot dies propinabat; unde sat larga sudoris promanabat copia. Ad alvum, quæ adstricta erat, aperiendam, pilulas Ruffi ad drachmam dimidiad pro dosi circa somni tempus tertio quovis die exhibebat. Non multo tamen post dolor iste rheumaticus, in dorsum & hypochondria delapsus multas crebat flatulentias, & in pectore non minus, quam in dorso multæ efflorescebant pustulæ, acre serum fundentes; imo sudor quoque, qui per noctem manabat, tam acris erat indolis, ut ipsam cutim non parum arroderet. His ita constitutis æger meam postulabat opem. Suasi itaque, ut seposita medicina sudorifera, omisiisque pilulis purgantibus, serum lactis acidulum, cancrorum lapidibus correctum mane ad mensuram dimidiad calide, & a meridi die eadem quantitate frigide biberet,

circa somni autem tempus emulsionem, ex seminibus IV. frigidis, semineque papaveris cum aqua florū sambuci, tiliæ, cerasorum nigrorum, addita pulveris leniter dia-phoretici & nitroſi portione, con-fectam ſumeret. Loco potus ordinarii commendavi decoctum ex rad. scorzonerae, chinæ & rafura C. C. cum paſſulis; ad alvum vero leni-ter ducendam ſemel vel bis in heb-domade manuæ electæ uncias duas in ſero lactis capiendas & pro ven-tricuſ robore firmando elixir meum viſcerale ad guttas LXX. poſt pran-dium adſumendum propinavi. Qui-bus omnibus per aliquod tempus con-tinuatis optime convalvit.

## EPICRISIS.

Senex hic fuit plethoricus; & quoniam vițe ſedentariae nimium indulſit frigidoque aeri libentius, quam calidiori corpus non adeo bene veſtibus munitum obtulit, & eibis in ſuper durioribus ſalfis ſtomachum obruit, transpiratio fuit impedita & humores ſpiſſiores redditи ſalſedine-que imbuti rheumaticos procrearunt dolores; ſub quibus ordinario cutis magis ſolet conſtrigi, & liberior transpirationis ſuccellus cohiberi. Poſtea vero, quum frequentiori va-lidioris ſudoriferi uſu humores craſſi ac ſalſi nimium fuerunt commoi, acrimonia ſalina magis increvit, & intenſior facta puſtulas & eroſiones in cute excitavit; quod quidem in ætate ſenili, quæ ad impuritatem ſalino-scorbuticam præ ceteris omni-bus proclivior exiſtit, facilius fieri potuit. Merito itaque juniores me-dici exinde hanc ſibi regulam pra-cticam debent elicere: morbos ſeni-les, qui potiſſimum ab humore vi-fido ſalio, & languentibus excre-tionibus proveniunt, minime fortio-ribus ſudoriferis vel purgantibus ef-ſie tractandos, ſed rectius longe ac-tutius, ſi ventriculi robor id per-

mittat, ſero lactis, & decoctis tem-perantibus, non omitta ſufficienti corporis exercitatione, perſanandos.

## O B S E R V A T I O IV.

**V**ix in cœlibatu vivens litteratus, <sup>Varia sympto-mata scorbutica cum motu ſi-fluē in anno.</sup> quadraginta annorum, victu adſuetuſ opiparo, cereviſiæque conſiſtentiori, jam per viginti & plures annos de ardente totius corporis pru-ritu, de vertigine, membrorum laſſi-tudine, ſomno inquieto, prava ci-borum diſteſtione, de ſudore, mi-nimum etiam corporis moṭum ſu-biue, ut & de exanthematibus purpuraceis, präſertim circa anum conſpicuiſ conquestus eſt. Interim quum aliquando nimio vini potui indulſiſſet, non modo omnia, quæ dicta fuit, mala exasperavit, ſed ſibi majora adhuc contraxit incom-modia, ex quibus allegaſſe ſufficiat tubercula ani dolorifica, quæ ſub alyi ex oneratione, ſordibus alvinis exiūm präcludentes graviflmas crea-bant moleſtias. His itaque ſuperan-dis ſuo ipſius auſu e vena pediſ tu-fa ingentem ſanguinis miſit copiam, idque hac methodo obtinuit, ut tu-mores iſti ſenſim paullatimque eva-nescerent. Aliquod vero tempus poſt cum denuo ſanguinem in venis cu-mulafet, non tantum ani ſpincte-re, tactu mollem nova obſidebant tubercula, ſed & dolor tensiū ac preſſoriū circa oſſis ſacri regionem valde infestabat. In hoc rerum ſta-tu quum inani multorum medico-rum auſu ſe ſibi ipſe conſulere co-actum videret, ex ſcriptis meis dia-teticis, quæ diligens legebat, id ce-pit conſilii, ut omni viño & cere-viſia ſepoſitiſ, miſiſque in viſtu ſalſiſ & acidis cibis, aquam puram fontanam biberet. Quo conſilio per longius temporis ſpatium adhibito id commodi ſibi präſtit̄ aeger, ut intra ſex mensium decurſum ab omni-bus, quæ nominavimus, ſymptoma-bus liber evaſerit; präter quod mole-

molestus ille pruritus, anique mollieties, & tumor cum æstu, & dolore pressorio circa os sacrum adhuc non nunquam invaderet. Metu itaque fistulæ adductus meam implorabat opem; quam ego hocce ferebam consilio, ut potum aquæ communis continuaret, interdum aquis mineralibus, vel fero lactis uteretur, bisque vel ter in anno venam pedis secundam præbeat & per menses aliquot elixirii mei visceralis usum sibi post prandium commendatum habeat. Quo intestini recti vitio succurreretur, sequentem aquam, quæ ad partem affectam eliciendam & a putredine defendendam præclari solet esse effectus, commendavi: Recipe myrræ elect. drachmas duas: coque leniter in aquæ spermatis rnar. uncii quatuor: colaturæ addefacchari saturni, lapidis medicamentosi Crollii ana drachmam dimidiam D. Et quum in ejusmodi casibus saepe eximio cum fructu præscripserimus unguentum ex olei vitell. ovorum, unguenti de linaria ana uncia una, tutiæ præp., plumbi usi ana drachma una, olei hyoscyami guttis XV. conflatum, non dubitavi id ipsum pariter huic ægrotu commendare, ut eodem partem indolentem saepe oblineret. Nec me frustrata est hæc methodus; siquidem inde ægrotus egregium sensit levamen, neque amplius de plena conyalescentia desperat.

## EPICRISIS,

Præsentem ægrotum inter scorbuticos esse numerandum, ex variis, quibus jam per decennium obnoxius fuit, pathematibus licet argumentari; utpote quæ singula scorbutico-salinam & viscidam humorum diathesin satis superque produnt. Peculiarie tamen & non omnibus similiiter proprium symptoma habendum est venarum hæmorrhoidalium intumescens, quam sibi æger lanto

multumque sanguinis ingenerante vietu, vita ob litterarum studia sedentaria, & omissis sanguinis abundantis evacuationibus sine dubio contraxit. Quodsi enim a pleniori victu sanguis subinde magis magisque accumulatur, non potest non sub motu defectu & languidiori excretionum successu spissior evadere longeque difficilis per totum corpus, maxime vero per imi ventris viscera circumagi; unde non modo in his, sed etiam potissimum in vasis hæmorrhoidalibus, ob difficiliorem a perpendiculo regressum, stagnat & denegato ibi exitu tubercula producit, quæ certo providam tam externam, quam internam postulant opem. Illam optime præstant remedia a nobis supra præscripta; hanc vero a diluentibus, & acrimoniam sanguinis temperantibus perbene licet exspectare. Et profecto miranda est solius aquæ communis, vel minerali principio imbutæ in tali malo effectus, ut ideo veritati consstantea deprehendantur, quæ superiori §. VIII. curationis de aqua excellentissimo scorbuticorum remedio fusius docuimus.

## O B S E R V A T I O V.

**V**ir generosus, quadraginta annorum, habitus corporis car-norum, habitus corporis car-hypo-chonos ac robusti, temperamenti ad diaco-melancholicum accendentis, ante quin-decim circiter annos Rostochii stu-diorum causa degens, ob diætam insuetam, & paulo crassiorem, autu-mino in febrem incidit tertianam per-tinaciorem; qua deinceps curata quum ad pristinum vitæ genus, diætam nempe falsam & duriorem revertebatur, pathematibus hypochondriacis & conaminibus hæmorrhoidalibus, tempus & ordinem non servantibus correptus fuit. Mutato deinde vitæ genere sedentario in magis mobile, diu ab istis molestiis vixit immunis, præterquam quod per

per vernum & autumnale tempus catarrhalis faecium defluxione & tussi humida laboraverit. Quum vero aliquod tempus post vitæ motus experti animique affectibus, præsertim iræ plus justo indulsisset, nec veniam, uti alias sueverat, tundere curasset, factum est, ut gravibus symptomatibus; ingenii languore, & lassitudine, doloribus artuum gravatibus, nucham maxime noctu infestantibus, alvo adstricta, quæ vix tertio die suum exsequebatur officium, plenaria adpetitus prostratio-ne, oris siccitate, vertiginosa capitis debilitate, auriumque tinnitus adficeretur. Inter hæc pulsus erat languidus ac durus, urina paucæ & rubicunda, & sudor de noctu largissimus, fere colliquativus cum ingenti febre profundebatur. His accedebat memorabilis acerbi & quasi ardentis doloris species, qui certum tantum locum, grossi magnitudine circumscripsum in lingua occupabat, certisque intervallis, maxime si dolor in nucha filebat, siam habebat exacerbationem, ut ideo æger coactus anxie multorum medicorum imploraret opem, qui plerumque calidioribus stomachicis, acrioribus purgantibus, pulveribus nitrofisi, & diaphoreticis, a quibus semper largus manabat sudor, ut & decoctis temperantibus & venæ brachii incisione dirum hunc morbum oppugnabant quidem, sed plane non mitigabant. Ego igitur in consilium simul adhibitus fuisse fui, ut æger circa vernale tempus, corpore prius per infusum mannatum a sordibus purgato fontem Selteranum mane ad mensuras prope duas, inter cibos vero pro potu ordinario ad mensuram dimidiā cum quarta vini Rhenani parte remixtam per aliquot septimanias biberet, singulis diebus aliquot horas ante vel post pastum sub elementi celo motum corporis equitando institueret, circa somni tempus pulverem præcipitatem leniter

nitiosum, & inter prandium elixir meum balsamicum, cum spiritu cochleariæ saturato animatum ad I. XXX. guttas adsumeret. Nec me fecellit hæc lenissima curandi ratio, ut potius hisce remedijs per sex circiter hebdomades adhibitis generofus æger ab omnibus istis gravioribus symptomatibus sensim paullatim que fuerit liberatus.

## EPICRISIS.

Plura sunt; quæ ex præfata morbi historia in usum practicum possunt converti, quorum præcipua hic recensere operæ erit pretium:

1) luculenter appetet, ex febre intermitente, vel alio quoconque morbo convalescentes, si posthabitis bonæ diætæ regulis statim majorem ciborum copiam ingerunt, in alios chronicos adfectus facile incidere. Ratio hæc esse videtur: quod robore ventriculi & intestinorum destricto viribus a pristino morbo consumitis nimia alimentorum copia non rite potest subigi & in bonum chylum converti; unde ingens crudatum fit proventus, qui dein novis morbis & ingignendis & alendis causam materiemque suppeditat largissimam.

2) addiscere licet, quod hypochondriaca affectio in juventute contracta diu quidem silere, accidente tamen perversa diæta, vita motus experte, affectuumque intemperantia facilius possit resuscitari, quam quidem in iis, qui tali morbo nunquam laborarunt.

3) illud quoque notatu dignum est momentum, quod rebellis scorbuticus morbus tam brevi temporis spatio tanta ceperit incrementa viresque adeo prostraverit, ut omnes fere functiones corporis inde læsæ apparuerint. Quod quidem in præsenti ægroto conceptu non adeo est difficile, cum sub statu corporis plethorico, excretionibus per alvum,

&c cu.

& cutim suppressis & continua affectuum intemperie fieri aliter non potuit, quam ut tota sanguinis & humorum massa in dyscrasiam, & impuritatem, sordibus excrementitiis salino-viscidis resertam brevi degeneraverit. Denique

4) & hoc observari meretur, quod scorbutica, acris causticæ indolis materia sæpen numero tantum certani corporis regionem, ut in præsenti casu certam linguae partem, occupet vehementiusque affligat, non aliter, sicut fieri nonnunquam animadvertisimus, quod in nonnullis molestus doloris, ardoris aut frigoris sensu definitam capitum portionem, e. g. synciput, occiput, tempora &c. reliquis salvis infestet, vel etiam in oculis, nucha, tibiis suam exerceat tyrannidem. Ubi tamen perite, & fundata ratione moneo, quod in ejusmodi doloribus topica, cujuscunque etiam sint generis, parum efficiant, imo potius obsint; nisi prius internis massa humorum sit correcta, & sanguinis cursu ad emunctoria, præsertim vero ad cutis cribrum restituto, corpus ab impuris succis liberatum: quod optime per corporis exercitationem, debitum aquarum mineralium usum, aliisque temperatioribus remediis perbelle obtinetur.

## O B S E R V A T I O VI.

**V**ix quadraginta annos natus, habitu corporis spongioso, qui apprime sanguinis, & succorum accumulationi favet, donatus, ex loco, quo vini & cerevisiæ potui adfueverat cibisque crassioribus, & fumo induratis usus fuerat, ad nos circa hiemem se contulit. Adpropinquante vere doloribus infestabatur rheumaticis cum febre juncitis, quibus successit temporis appetitus prostratio, sputum copiosum, ardor & dolor in faucibus, tumor & pustulae indolentes in lingua, quæ sponte apertæ carnem exedebant & cavi-

tatem ibi ulcerosam efformabant, sese adsociarunt. Ad graviora hæc symptomata profliganda medicus interne sanguinem depurantia, & exteriū linimentum, ex spiritu vini, myrrha, mastice, radice tormentillæ, & mercurio præcipitato compositum, nec non pilulas mercuriales eo cum effectu ordinabat, ut brevi post non modo ulcus linguae profundius serperet, sed & ingens pituitæ, pessime olentis copia ex ore sordido nigrisque dentibus obsito dies noctesque effunderetur; quæ omnia ægrum adeo cruciabant, ut nec solidi quicquam deglutire, nec loqui, nec etiam somnum capere valeret. Alius simul consulebat medicus, qui non minus lignorum decoctis, senioribus purgantibus, theriacalibus, sulphuratis, balsamicis & fibrostringentibus tam internis quam externis vim morbi frangere conabatur: sed irrita erant omnia, ut potius non tantum per quatuor fere menses idem permaneret status, sed & postea omnia in pejus ruerent symptomata. Somnus enim aderat plane nullus, febris, & anxietas præcordialis noctu majora sumebant incrementa, viriumque robur magis magisque labefcebat. Præterea urina per totum morbi decursum pauca erat & rubicunda cum sedimento lateritii coloris, &, quod memoratu dignum est, si ulcus linguae sub balsamicorum usu melius videbatur, mitiorque pituitæ per os fiebat ejactio, non modo præcordiorum anxietas, sed & dolor sinistri lateris, ubi ulcus erat, augebatur; cum contra, manante iterum materia sordida, interdum cum sanguine mixta, leniora apparebant symptomata. Materia ex lingua ejactæ permagna erat quantitas: siquidem circa fineum morbi intra aliquot horas plus quam mensura expuebatur. Nec denique reticendum est, quod demum in sinistro latere circa aurem glandula parotis cum dolore ac in-

in signi duritie intumuerit; unde aucta indies virium dejectione aucto- que febrili æstu miser ægrotus a morbo superatus aliquot hebdomades post diem obiit supremum.

**E P I C R I S I S .**

In præsenti hoc casu inter alia no- tari meretur ulcerofa linguæ corru- ptio, quæ rarius quidem in libris medicorum occurrit, a me tamen sæpius iterumque observata est in ejusmodi hominibus, qui scorbutica humorum dyscrasia infecti dentes va- cillantes, gingivas erosas cruentas que habuerunt, & inter masticandum inopinato quadam mortu Linguam vel leviter lacerarunt. In his enim sicut ordinario sanguinis, & humo- rum impetus ad caput præcipue est directus; ita hic, accedente quadam causa externa, facile potest augeri, & sic certæ parti, e.g. linguæ hand leve vitium affricari: quodsi quis vero tum mercurialia vel interne ve- lit propinare, vel externe affectæ parti applicare, oleum camino plus addet, quam detrahet. Nam regu- lae instar practicæ tenendum esse ar- bitror, mercurialis prosapiæ medica- menta, utecumque etiam præparata, & adhibita in scorbuto tantum non semper maximo esse nocumento. Longe vero certius graviusque no- cere solent in vitiis dentium, & lin- guæ scorbuticis, quia sanguinis, & lymphæ ad has partes affluxum, qui per se satis magnus est, augendo, plerumque malum gravissimum, & vix ulla medicina iuperandum ac- cersunt; idque eo magis, quoniam certa experientia fide constat, quod omnia linguæ, seu partis spongiosæ continuoque salivæ affluxu madidæ ulcera difficultoris sint curationis, dum ibi exsiccantia, & abstergentia penitus fere sua privantur energia. Quæ omnia igitur quum in præ- sentem ceciderint ægrotum, mirum esse non debet, cur morbo ferendo,

& vincendo impar factus animam efflaverit.

**O B S E R V A T I O VII.**

**V**ix qinqaginta annorum illu- strissimus, habitus corporis spongiosi valdeque obesi, vitam agens sub lauta pleniorique diæta <sup>Scorbu-</sup> <sub>tus den- tibus ma- xime in- tenus.</sub> non tam sedentariam, quam curis gravissimis molestam, ante aliquot abhinc annos primum scorbuticis vexari coepit pathematibus, ita ut gingivæ tumidæ ex facili sanguinem funderent, dentes maxillæ sinistre vacillarent, & æger, quod notabile, farinæ linguam inspersæ sensationem, præfertim post pinguium esum perciperet, quæ loquaciam quodammodo intercipere videbatur. Ad hæc igitur mala tollenda varia extrinsecus roborantia, adstringen- tia, & corruptioni resistentia, ex internis vero decocta antiscorbutica sunt commendata; unde tumor quidem cum sanguinis profluvio evanuit, ex dentibus vero vacillantibus materia quadam alba, ibidem collecta paullatim promanavit. Non ita multo post recurrerit cruenta gingivarum sinistri lateris intumescen- tia, & abscessus in anteriori maxilla superioris incisore formatus ichrosam fudit materiam, quæ cohobra ad maxillam dextram se ipsi, ibi- que tumorem & dentium relaxatio- nem induxit. His ita constitutis me- dici iterum externis roborantibus, balsamicis, & interne sero lactis, cum cremore tartari, & herbarum antiscorbuticarum succis parato mo- lesta hæc symptomata profigare con- tenderunt; nihil tamen feci sum fastidiosum materiæ viscidæ, odore destitutæ stillicidium continuavit: quare ego consultus, singulis probe ponderatis intellecti, frustaneum fore omne curationis negotium, nisi morbi fomes, quem in corpore hoc plethorico ciborum valde nutrien- tium usus subministrabat, perite

sub-

subtraheretur. Suasor itaque fui, ut illustrissimus æger per mensem, & ultra cura per abstinentiam sive inediam hoc modo uteretur: Præmitfa venæsectione, alvique sordibus per infusum vinosum, ex rhabarbaro, radice ari, pimpinell. cichorei, agarico trochiscato, corticibus au-rant. & passulis confectum leniter evacuatis, in refracta portione carnes magis assatas, quam coctas panemque bis coctum debuit comedere, juscule pinguiora aliaque nu-trientia vitare, & potui ordinario decoctum ex rasura ligni sassafras, lentisci, rad. cichorei, & pauxillo cinamomi substituere, idemque ma-ne, ad lenem sudorem movendum, calide in lecto haurire. Ad robur ventriculo conciliandum, & bonum chylum ingenerandum commendavi elixir meum viscerale balsamicum, finita mensa cum vino capiendum; externe vero consultum duxi, ut a chirurgo artis perito dens affectus eradicaretur, & ad putredinem ar-cendam liquamen myrræ cum bro-dio cort. aurantiorum gingivis illi-neretur. Dentium vacillantium con-firmationi prospectum fuit essentia terra catechu, cum essent. balsa-mi Peruviani brodioque aurant. per-mixta; & ut impetus humorum ad superiora prohiberetur sanguinisque æqualis circuitus per caput promo-veretur, spiritu nervino collum, & tempora inungenda curavi. De even-tu autem morbi hæc scire expediet. Evulsione dentis non opus fuisse com-peri, sed leniori taftum gingivarum scarificatione ordinatisque remediis ex voto ægrum convaluisse.

## EPICRISIS.

Scorbutus hic modo fuit incipiens, & a nimia sanguinis, & succorum abundantia, sub pleno lautoque vi-etu accumulata originem duxit. Quodsi enim homines sanguineo-phlegmatici, seu laxiori fibrarum ac-

vasorum textura prædicti multos nu-trientes cibos ingerunt, non potest non inde sanguinis copia valde au-geri, quæ vasa supra modum disten-dendo, hæc imbecilliora reddit, de-bitque fluida propellendi robore fri-vat: unde sanguinis spissitudo, & dein sub languidiori excretionum successu ejus impuritas; ex hac vero ipsa scorbutica lues oritur facillime. Si quis itaque scorbuto, a tali cau-sa suborto, præsertim vero sympto-maticæ gingivarum affectioni in præ-senti hoc casu recte velit succurre-re, parum profecto medicamentis internis, multoque minus externis proficiet, nisi superabundantem suc-corum copiam subtrahere, totumque fibrarum sistema relaxatum robora-re fatigat: quod quidem in ejus-modi subjectis sanguineis, & spon-gioso corporis habitu donatis non solis sanguinis missionibus, sed me-lius longe tutiusque curatione per inediam, quam supra decuimus, po-test perfici. Hac enim per aliquod temporis spatium rite adhibita, su-perflui humores exsiccantur, & dis-pantur, fibrae nimis relaxatae, & a tono suo dejectæ reborantur, & ad majorem constringationem animantur, adeoque omnes se & excretiones, cum naturalibus corporis functioni-bus suæ restituuntur integritati. Et certe, si dicere licet quod res est, ego in diuturno & nunc quinqua-ginta annos superante artis exercitio summe rebellium nullaque medicina domandorum effectuum curationes per Dei gratiam sola hac methodo diætetrica absolvı, imo præsertim pessimi moris ulcera, frustra alias adhibitis tam internis quam externis remedii, ad sanationem perduxı, ut ideo sœpe valde miratus sim, cur hæc eximia, licet domestica curandi methodus tam parvi a medicis habeatur, imo fere prorsus negli-gatur. Sed ita est, proh! dolor per-versa mortalium indoles, ut negle-ctis diæteticis paratuque facilioribus reme-

temediis sola pretiosa , & magnas laudes sonantia medicamenta stulta cupiditate inhient .

## O B S E R V A T I O VIII.

Ulcera  
scorbuti-  
ca.

**H**Aud ita pridem miles XXVI. annorum , corporis gracilioris ac proceri , facie pallidus , qui jam per quinquennium ulceribus pedum scorbuticis laboraverat , a militiæ præfecto ad me mittebatur , ut sibi meum , & consilium , & auxilium expeteret . Ego itaque singulis , quæ ad morbi originem veramque indolem cognoscendam pertinent , probe examinatis , deprehendebam , ab impuritate sanguinis scorbutica omnia ha- ctenus mala ortum incrementumque sumfisæ , & a longo abhinc tempore usque eo durasse . Ulcera enim adhuc duo in malleolo pedis dextra erant aperte , in sinistro autem pede cicatrices , & bruni coloris maculae satis late , ab ulceribus jam consolidatis relictae , conspiciebatur , quæ valde dolebant , miserumque ægrotum , de magna totius corporis lassitudine , menibrorum gravitate , & vagis doloribus jam conquerentem mirum cruciabant . Medicamenta ha- ctenus adhibita erant ferè sola extera , internis aut omisis , aut cum debito vitæ regime non diu sa- tis continuatis : quare ego cum san- guinem depurantibus curationem in- stituendam ratus commendabam , ut imposterum accuratori vitæ viœtus que ratione habita , corpus aliquot horas ante vel post prandium eun- do aut equitando moveret , loco potus ordinarii decoctum ex rasu- ræ ligni sassafras unciis quatuor , rad. glycyrrhizæ , & cichorei ana uncia una confectum larga in quantitate tam calide , quam frigide bibe- ret , & interposito nonnunquam le- niori laxante , cibis , quos parciori manu adsumere debebat , herbas anti-scorbuticas , ut sunt cochlearia , & nasturtium , inter coquendum adiice-

Hoff. Syſt. T. IV. P. 5.

ret . Ex medicamentorum classe nihil obtuli , præter elixir proprietatis , cum menstruo aquoso paratum , debitaque spiritus cochleariæ , oleo pro- be essentificati porrione remixtum , cuius LXXX. guttas ter in die capiebat . Externe ad ulcera adhuc ma- nantia mundificanda , & consolida- da oleum vitell. ovorum , essentia succini , & myrræ nuptum commen- dabam , superimposito emplastro Bar- bette saponato , & camphorato , quod etiam alteri pedi applicandum cura- bam ; & quidem hæc omnia tam felici successu , ut post duorum mensium spatium æger me revisens , non solum colore melior , viribusque , & corpore robustior videretur , sed & ulcera ex voto sanata fuerint .

## E P I C R I S I S .

Docet in primis hæc morbi histo- ria , quam parum in scorbuto curan- do ejusque symptomatibus , uti sunt ulcera , sanandis externa remedia ef- ficiant ; nisi simul probe observatis vitæ viœtusque regulis appropria- ta , & correctioni humorum dicata interna conjungantur . Splendent au- tem hac in primis virtute medica- menta sic dicta antiscorbutica , quæ sale volatili sulphureo turgida omnis generis excretiones promovent , & amissum sanguini balsamum restituendo , universam fluidorum mas- sam egregie corrugant , ut postea natura , vel paucis externis adjunta sponte ejusmodi ulcera persa- net . Deinde ex tam facilis , & intra breve tempus absoluta curatio- ne addiscere licet , quantum medi- cus arte sua possit præstare , si ægros dictis obedientes , ætate juvenes fir- miorique naturæ robore donatos ob- tinuerit , & quanta e contrario sint impedimenta , si in pertina- ces , & ad genium suum viventes inciderit .

Plures observationes legi pos- sunt in consultat . & responſis med.

C Tom.

Tom. II. Sect. III. casu CXIII.  
CXXIX. CXLVII. CXLVIII.  
CXLIX. CLVI. usque CLVIII.

## CAPUT II.

De Sphacelo a causa potissimum  
interna ejusque curatione.

## THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

Institutio ex-  
ponitur,

**N**ullus affectus atrocior, & crudelior, quam sphacelus est, ubi nobis viventibus integræ corporis partes, subito putrescentes moriuntur: estque hujus morbi tam saeva, & infesta indoles, ut, ubi semel nudum suum elegit, pertinacissime inhæreat, & non tantum partem, cui insidet, mortificet, sed citato pede progrediens primum vicinas partes corruptat, mox totam machinam destruat vitaque privet. Quum vero pro diversitate corporum, & individuorum, pro varietate causarum, quæ vel externæ vel internæ sunt, pro genii sui magis vel minus maligni indole, & symptomatum concursu permultum variet, siueque gradus habeat, tum neque eadem semper auxilia, neque eandem medendi rationem locum invenire posse in aprico est. Siquidem longe alia mendendi via desideratur, ubi a causa interna, seu prava humorum indole ac corruptione nascitur, alia, quando humoribus integris, a violentia externa originem dicit. De utroque hoc loco agere constituimus.

§. II.

**D**efinimmo. Definimus vero sphacelum, quod sit putredinosa corruptio partis in corpore vivo, qua non modo ejus textura, & structura cum usu, & functione plane destruitur, sed & restitutio in pristinum statum nunquam expectanda est.

§. III.

**S**phe-  
lus corri-  
put-  
tes in-  
gernas.

Neque tantum partes externas musculosas, tendinosas, & nervosas hic vitæ infensiſſimus morbus aggreditur,

sed potissimum etiam partes internas corporum, chronico diurno, vel etiam brevi acuto affectu laborantium afflit, & lethiferum in ipsis effectum producit. Postquam enim nostro tempore laudabilis ille dissecandi corpora morbo extinctorum mos obtinuit, proxima interitus causa nunquam fete non in corruptione sphacelosa partis, & visceris cuiusdam principalis observatur, & conspectui datur: quemadmodum in dissertacione *de causa mortis in morbis id ipsum fusore tractatione persecuti sumus.*

§. IV.

Occupat vero hoc malum frequentius partes externas, sanguinis vivido influxu destitutas, tendinosas, & corporis extrema, ut manuum pedumque digitos, item scrotum, praesertim si corpora longiori morbo sint emaciata, vel senio confecta. Frequentius quoque prehendit cachecticos, hydropicos, paralyticos, & scorbuticos, &c. qui sanguinem impurum, partibusque sulphureo-balsamicis orbatum, & humores ad corruptionem, & vappescentiam pronos in vasis alunt. Imo etiam facile ad ossa transit, quæ fetidissima sœpius putrilagine consumit, quando vide licet virulenta partium circumdata rum fanies putridusque ichor ad eorum intima penetrat.

§. V.

Variis vero modis spacelus exter-  
Sphacel-  
nis in partibus se manifestat, ita ut signa.  
naturali colore, & calore earum per-  
reunte tactu frigidæ evadant, color  
rubicundus in lividum, & nigrum  
successu temporis mutetur, & in  
parte quoque proxima ambiente flo-  
rida, & vivida constitutio pereat,  
inque pallorem transeat. Maxime ve-  
ro omnium in portione specialissime  
affecta sensus tactus perit, ut nec  
profundas scarificationes nec incisio-  
nes ægri sentiant. Accedit porro  
ipsius partis tumida elevatio, quæ  
etiam in proxime ambientem partem  
se diffundit, eamque tumore afficit,  
Præ-

Præterea, portio corrupta in diffu-  
tem dissolvitur putredinem, suamque  
consilientiam plane amittit cum gra-  
vi, & cadaveroso fœtore nares fe-  
riente; quæ corruptio mox ulterius  
subito serpit, & partes circum jacentes  
simili labe inficit. Et quandocun-  
que in parte ejusmodi sphacelata sca-  
rificatio, quam, ut dictum est, non  
sentiunt ægroti, instituitur, ex vul-  
nusculis inflictis non sincerus san-  
guis, sed ichorofus cruentus humor,  
ob sanguinem ibi subsilientem coagu-  
latum effluit, cum stigmatibus nigris  
inter vulnuscula adparentibus.

## §. VI.

Differ-  
entia a  
græna differat, quibusque signis ute-  
rque affectus, multum inter se co-  
gnatus dignosci debeat, e re utique  
fore duco, ut paucis delibemus atque  
cruamus. Gangræna est extremus in-  
flammationis gradus, quam, nisi ru-  
pta omni mora præsentissimas fera-  
mus suppetias, mox sequitur, & co-  
mitatur partis corruptio, sive ipha-  
celus. Hæc autem gangrænam in  
inflammata parte præsentem prænun-  
tiant: quando coloris floridum,  
quod in inflammatione adfuit, ex-  
stinguitur, deinde dolor, & pulsus  
arteriarum, ægro antea valde sensi-  
bilis, finita nondum morbida dispo-  
sitione remittit; pars antea dura, &  
renitens mollis fit, colore livida,  
sensu destituta, & cutis a carne fa-  
cile sejungitur; siue digitis premi-  
tur, in profundum redit, nec postea  
resiliendo revertitur: imo pustulæ  
quoque, & vesicæ copiosæ in partis  
superficie apparent, quæ apertæ lati-  
cem acrem fundunt, nigredinemque  
suctus recondunt.

## §. VII.

... origo  
a causa  
in interna,  
& exter-  
na. Verum enim vero, sphacelatio du-  
plici modo, vel ex præcedente gan-  
græna, vel sine ea nascitur. Illa  
pletumque a causa externa manife-  
sta, & violenta originem habet, vi-  
delicet a strictioni partis ligatura,  
dum sanguis post ligaturam non in-

venit libere remeandi vias, vel a  
vehementiori partis contusione, vel  
a lœsionetendinis, & nervi, & hinc  
orta dolorum atrocia: quod accide-  
re solet sanis, vegetis, in vigore  
ætatis constitutis, sanguineque, &  
viribus plenis. Atque hic sphacelus  
maxime acutus est, &, nisi mature  
convenientibus remedii succurratur,  
hominem celeriter e medio tollit.  
Altera sphaceli species, quæ potissi-  
mum a causa interna oritur, præter  
opinionem sponte emergit, maxime-  
que familiaris est, ut supra innui-  
mus, cachecticis, senibus, scorbuti-  
ticis, quorum vasa humoribus in pu-  
tridam corruptionem pronis scatent.  
Et hoc malum magis est chronicum,  
non celeriter vitam destruens,  
sed aliquoties satis diu affigit len-  
toque gradu interficit. CORNE-  
LIUS GELSUS lib. V. cap. XXVI.  
hanc sphaceli speciem cancri, nomi-  
ne, sed latius patente, describit, ita  
ut erysipelas, si in ulcus tendit, si-  
mul complectatur, adeoque diserte  
de ejus causis, & genesi loquitur,  
ut clarissime pateat, non alium cum  
propositisse, quam qui in corpore ma-  
li habitus sponte provenit.

## §. VIII.

Hifce discussis sequitur, ut, quo-  
modo dirum hoc vitium in partibus  
externis suboriat, dispiciamus ac  
clare demonstremus. Jam satis, ut  
arbitror, ex physiologicis comper-  
tum est, uti totius corporis, sic  
quoque cujusvis partis vitam, vigo-  
rem, & a præsentanea corruptione  
præservationem omniumque functio-  
num integratem ab humorum vi-  
talium libero, & æquabili circuitus  
successu dependere. Tamdiu enim  
pars est viva, & a corruptione im-  
munis, quamdiu adhuc sanguineus  
latex singula ejus vasa, & vascula  
æqualiter perluit. Sic paralyticorum  
membra, utut sensu, & motu vo-  
luntario privata adhuc tamen vita  
frui dicuntur, quoniam vitalis ad-  
huc purpura per illa ipsa fertur, &

per circulum resolvitur. Proinde uti mors totius corporis, itam etiam certae cuiusdam partis mortificatio a cessante, & destructo sanguinis circulo dependet. Hoc enim sublato, crasis sanguinis, & mixtio naturalis perit, fluidum a solido separatur, & ob moram particulae sulphureæ mobiles subtiliores avolant, motumque intestino fermentativo unio vari generis partium dissolvitur; unde foecidissima emergit putrilago. Quando enim progressivus sanguinis motus desinit, protinus fluidum aereo-æthereum in faginea contentum, pariter atque externum incumbens calore suo motum alienum internum seu intestinum inducit, qui texturam, & vinculum, quo inter se gaudent partes, destruit; quoniam circularis ille motus utique præcipuum est naturæ instrumentum, quo corpus a putredine servatur, quo vari generis elementa sanguinem constituentia in intima mixtione, & unione continentur. Quum vero liber ille fluidarum partium motus a solidorum firmitate, robore, & vi cordis, & vasorum systatica elastica, cuius beneficio fluidæ impelluntur, propelluntur, progrediuntur, unice dependent; haec autem solidorum vis naturalis, & motrix a sanguinis, & succi nervosi bene constituti per minima vasa influxu sustentetur: facile patet, causam sphacelationis, si causa interna sit, potissimum in sanguine ejusque prava constitutione esse querendam.

## §. IX.

*In quoniam vero laudabilis succorum vitalium ad vitam, & sanitatem custodiendam necessaria constitutio consistat, jam breviter perquirendum erit. Sanguinem esse humorem non homogeneum, sed ex vari generis particulis, subtilioribus, & crassioribus, terrestribus & aqueis, salinoque sulphureis oleofisis pinguis conflatum, &, si rite vitalibus*

præesse functionibus debeat, ad dulcem blandamque temperiem per intimam harum partium unionem redigi debere, extra omnem dubitatis aleam positum esse existimo. Quodsi igitur sanguis satis fluidus est, ut per subtilissimos canales se & excretorios libere possit trahi, & a superfluis elementis separari, sanitas corporis comparatur, sive omnes partium ejus functiones integræ salvæque manent; ubi vero e contrario cassiores, mucidæ prædominum obtinent, tum per minima vascula libere non permeare, id est nec satis influere, nec satis effluere potest: unde subsistit, minima vasa obstruit, & alienam plane indolem acquirit, quod maxime fit in otiosis, senibus, cacheoticis, & scorbuticis, qua ratione facilis ad sphacelum fit dispositio & transitus.

## §. X.

Quodcumque itaque sanguinem in *Cause occasio-*  
*natales.* minimis vasis coagulat, ejusque motum ac progressum impedit, id ad genesis sphaceli multum conferre, appetat. Unde etiam videmus, quod a combustionē modo graviori per ignem facta sanguis coagulatus haud infrequenter materiam sphaceli proximam suppeditet, vix aliam ob rationem, quam quod nimius ignis calor sanguinem coagulet ejusque flaccilitatem demat. Non dissimili modo ab intensiori gelu tempore hiberno in corporis extremitatibus diras, ejusmodi coagulationes, & sphacelationes evenire videmus. Perquam enim notum est, sanguinem e vena missum brevi tempore a frigore in coagulum abire; sicut pariter hand facile quenquam fugiet, per frigora itinera facientibus pedes, manus, nares, aures emori. In primis vero frigus partibus erysipelate affectis, vel alia ex causa æstuantibus infestum esse deprehenditur. Ita exemplum in EPHEMERID. Dec. II. ann. III. p. 145. item apud Gregor. HORSTIUM

Exstat, quod manus febre ardente laborantis, in aquam frigidam demissa sphacelata fuerit retracta. Idem fieri observamus a graviori vulneratione, & contusione, cum sanguis extra vasa positus & in poris retentus per facile stagnat & resolvitur. Quae de re plura exempla *Wib. Fabricius HILDANUS libro de gangrena, & sphacelo* notavit.

## c. XI.

*Quae cum  
mediatis  
ampius  
gecen-  
suntur.* Tonum etiam fibrarum motricium ab humido nimis relaxatum, & vivida vegetaque systole destitutum ad stagnationem & corruptionem sanguinis sphacelosam multum facere, paralytici, cachectici, hydroponici &c. Iatis abundeque testatum faciunt: quo etiam referre oportet præposteras erysipelate & inflammatione affectarum partium curationes per catalplasmatum, emplastra refrigerantia, constringentia, vel nimis relaxantia pinguedinosa. Quod vero scorbutici, & senes, quorum sanguis & humores cum scorbuticorum sanguine multum habet affinitatis, & similitudinis, tam facile, & citra causam externam præcedentem ad atrox hoc malum dispositi sint, ex iam adductis facile quæquam poterit colligere; utpote eorum sanguis, & lympha ad spissitudinem, & coagulum, præ ætate juniorum, facile inclinat, dum mobilioribus, benignioribus & balsamicis spirituosis particulis orbatus, mucidus, crassus, latus, & iners relinquitur: cui si postea accedit vel externum frigus, vel mœror animi, terror aut metus, vel etiam aer humido frigidus, & aliud quodcunque externum relaxans, ut balneum, subito & præter omnium opinionem dispositio ad sphacelum emergit. Neque omittenda est in senibus, præsertim scorbuticis siccior ac rigidior & valorum & fibrarum texture, dum interstitia, & pori magis coactantur, ut non modo sanguis, & lympha difficiliter per ea transeant, sed & tonus partium solidarum, ob

*Hoff. Syst. T. IV. P. 5.*

deficientem fluidi nervosi & sanguinei influxum, valde debilitetur; multo vero magis in extremitatibus pedum, ubi musculosæ partes minores, & plures tendinosæ sunt, per quas ordinario sanguis propter gravitatem descendens difficiliter circumvolvitur.

## §. XII.

Proximum jam est, ut etiam despiciamus, quomodo immoderatus, & imprudens rerum nonnaturalium usus ad suaheli productionem concurre possit. Ex harum censu principem fere locum aer, multis effluviis vappidis, & humidis refertus, & vi elastica orbatus sibi vendicat, qualis est in locis humidioribus, habitationibus profundis, mari & fluviis, sive paludibus propinquis, qui in genere omnium partium solidorum tonum ac robur relaxat, transpirationemque impedit, ut per cutis spiracula subtiliores putridæ salino-sulphureæ partes non possint exhalare. Ex ciborum genere hic in primis pertinent omnia, excessivis qualitatibus prædicta, ut fere sunt nimis dulcia, acida, falsa, fumo indurata, vel etiam nimis pinguis. Ex potulentis huc spectant vina acida, vel etiam nimius spiritus vini abusus, quo fluidum temperatum subtile dissipatur, crassioribus paribus, quæ facile in coagulum abeunt, telicit. Ex quo simul ratio patet, quare rebelles chronicæ passiones, ut scorbutus, hydroponia, cachexia, & sphacelus istis in locis, ubi familiariissimus spiritus vini, & liquorum spirituorum potus est, sint frequentissimas. Hisce quando acredit imbecillior natura, quæ secundum CELSO omnibus morbis patet, maximeque senibus communis est, item nimium otium, vel anxia animi cura, quæ omnem corpori, & animo vigorem eripit; tum utique fenestra ad tales morbos grayissimos aperitur. Denique notabile est, sæpius citra ullam causam externam occa-

C 3 siona.

*Causa  
non  
tur.*



sionalem, etiam sine tumore, & rubore conspicuo, sine febre præcedente, dolorem immanissimum oboriri, & funestum sphacelum subsequi, ut FERNELIUS de abditis rerum causis lib. II. cap. 15. testatur. Ita quoque HORSTIUS lib. IX. obs. 25. animadvertisit, sphacelum in corpore cacoehymico vi purgantibus fortioris esse introductum.

## §. XIII.

Prognos.  
sis.

Prognostica licet ipsi tractationi hinc & inde sint intermixta, placet tamen pauca specialiora addere. Maxime autem omnium in prognosi fenda ad ipsum individuum ægrotans est respiciendum; quod si juvenile & activum est, majorem sanationis spem promittit, quam segne, tardum & senile: & licet in juvenibus corruptio sphacelosa, præsernit si ex gangrena præcedente oborta fuerit, celeiores vehementioresque faciat progressus, quam in senibus, ob majorem particularum tam sulphurearum mobilium, quam humidarum ad putredinem aptissimarum copiam; tamen annotandum est, quod corruptæ partis a sana separatio debitaque suppuration sub convenientium remediorum usu in junioribus ob sanguinem, quem præsenibus alunt, fluxilicem, & puriorum, & ob majus virium motuum vitalium robur facilius succedat. In genere vero notandum velim, quod nulla unquam portionis actu corruptæ exspectanda sit restitutio, sed potius partis sphacelatae a sana successio desideranda, quam in senibus corporibus naturæ beneficio vix unquam contigisse memini. Ceterum, si gangrena vel sphacelus ab extra provenit, longe citius & facilius sanationem recipit, nec tam citato pede progredivit, dum sanguis & humores balsamo suo genuino, quod putredinem arect, adhuc scatent; secus autem fieri solet, si ab interna causa malum dependet, ubi longe periculosior est status, nec

tam brevi tempore humores possunt emendari.

## METHODUS MEDENDI.

## §. I.

**Q**uum in omni morborum gene-  
re prudentis suoque officio sa-  
tagentis medici sit, ut pro ipsa con-  
ditione, & diverso morbi statu con-  
venientia adhibeat remedia, tum  
protecto in sphacelo sanando id  
ipsum observatu necessarium esse ar-  
bitror. Alia enim medendi via ine-  
unda est, si totum membrum sit  
emortuum, alia si pars tantum ne-  
crosis labore. Illud si incidit, am-  
putatio unicum est remedium; hoc  
vero ubi evenit, ea adhibere decet  
medicamenta, quæ sanguinem beni-  
gnum reddunt, obstrunctiones remo-  
vent, & laudabilem sanguinis influ-  
xum, & refluxum in partem corrup-  
tioni proximam promovent, ut hae  
ratione quod sanum est defendatur,  
emortuum facile separetur, & lau-  
dabile pus, quod optimum convale-  
scientiae signum præbet, generetur.

## §. II.

Quodsi igitur indicium est, de-  
structorum motum in affectis par-  
tibus vigore ulteriusque serpere, pri-  
ma medici intentio esse debet, ut  
violentum hunc & naturæ infen-  
simum motum, mortem & putredin-  
em inducentem sistat: quod quidem  
optime perficitur deobstruentibus,  
balsamico roborante sulphure, & sa-  
le panetrantiori instructis, utpote  
quæ sanguini liberiorem cursum,  
partibus debitam transpirationem,  
& materiæ æthereæ sanguini inclu-  
ſæ liberrimum itum reditumque con-  
cedunt, ut hac ratione putredo ar-  
ceatur, & quod emortuum est, se-  
jungatur. Huic scopo ex voto satis-  
faciunt omnia sale volatili oleoso,  
acidum destruente imbuta vegetabili-  
lia, ut ruta, salvia, angelica, le-  
visticum, flores sambuci, baccæ  
juni-

Indica-  
tiones  
curato-  
ria.Quemad-  
modum  
externa  
intredi-  
nem ar-  
ceat?

juniperi , & salia volatilia urinosa vel oleosa , maximeque resina illa subtilissima , & penetrantissima camphora : quo etiam spectant sale quodam alcalino fixo amaro imbuta , ut scordium , carduus benedictus , aristolochia rotunda , aloe , centaurium minus , absynthium , item oleo balsamico turgida , ut myrrha , thus , mastix , balsamum peruvianum ; vel denique incisaria vi agentia , ut sal ammoniacum , lapis medicamentofus Crollii , vitriolum martis & veneficis , aqua calcis vivæ , cineres clavellati , vinum , ejusque spiritus .

## §. III.

Ex his  
partata  
formulae

Possunt ex dictis apparari cataplasmata , & fatus , crebriusque calide applicari , quæ partim incidente & tonum partis roborando , partim putredinem arcendo , divinam afferunt opem . Mihi vero quasi instar omnium hactenus in usu fuerunt duo remedia , quorum primum ita se habet : Rec. rad. angelicæ , levistici , anaunciani unam , herbae scordii , rutæ , cardui bened. salviae ana manipul. I. myrræ , mastich. ana drachm. sex , salis ammon. unciam unam fémis , virid. æris drachm. fémis , alum. usq; drachm III. Hæc invicem concisa & contusa coque in aquæ calcis vivæ , vini Francici & spiritus vini camphorati partibus æqualibus . Alterum est solutio florum salis ammoniaci vitriolatorum in spiritu vini non rectificato , adjecta debita quantitate camphoræ . Quodsi autem malum profundius in carnosis partibus lateat , prius institui debent scarificationes , ut non modo sanguis in coagulum condensatus & corruptus e membro laborante evacuetur , verum etiam , ut medicamenti vis ad ipsam labem proprius pertingat . Et profecto inanis est nonnullorum metus , qui aeris accessum ad putrefactionem accelerandam contribuere existimant ; cum tamen facile possit cohiberi , si satis mature debitibus adminiculis affecte parti prospiciatur .

Scarifi-  
cationis  
usus .

## §. IV.

Hæcce remedia sœpe præstantissimam tulerunt opem , maxime si internis alexipharmacis & diaphoreticis , quæ sanguinis mixturam incrasifi & motu suo servant , liberumque transpirationis successum adjuvant ,

rite fuerint secundata : cujus energiæ quam maxime esse deprehenduntur , liquor cornu cervi succinatus , tintæura bezoardica media & volatilis , diascordium liquidum , spiritus bezoardicus Bussii , essentia theriacalis , theriaca cœlestis , & omnia salia volatilia oleosa . Singula tamen hactenus enumerata interna remedia multis parasangis antecellit , certissimoque effectu ceu euporiston satis se comprobavit hæc quæ sequitur formula .

Accipe vini thenani optimi libram unam , succi cancrorum recentis uncias tres , theriacæ drachmas duas , lapidum cancrorum drachmas tres : blando calore hæc miscantur & pro dupli dosi bibat ægrotans , observando simul debitum ac temperatum sudoris regimen . Præterea ex alexipharmacis , nostro scopo inservientibus maxime eminenti nitrum & camphora , quæ , si ita combinantur , ut ad drachmam unam nitri scrupulus dimidijs camphoræ addatur , excellentissimum exserunt effectum . Nitrum enim , sanguinem & serum fluxile reddit , humorumque acridinem , & febrilem æstum temperando , balsamum sanguinis conservat ; camphora vero effluviis suis tenuissimis faliū morbosorum , & particularum obstruentium exhalationem promovet quam optime . Hæc tamen circa usum horum remediorum tenenda velim , ut primo in paulo largiori & repetita dosi offerantur , quia præsens periculum præsentaneam sanguinis emendationem urget ; deinde ut , si a causa interna malum succreverit , plus ipsis , quam externis omnibus fides habeatur .

## §. V.

*Separationis corrupti a lano varietatem di.* Hac methodo qui aggreditur gangrenam & sphacelum, feliciter in ejus sanatione procedit, & vel ultiorem mali progressum impediet, vel partem putredine jam tactam, naturae beneficio concurrente, restituere. Sanguine enim tam internis quam externis jam benigniori reddito, natura loco carnis emortuæ novam carnem progenerat: modo observetur, ut restituta jam in parte gangrenosa sanguinis circulatione, illud quod emortuum aut corruptum est, maxime si grandis sit molis carneæque substantiae, ope chirurgica prudenter separetur, & amoveatur. Varii autem varios separationis modos in chirurgicis æque ac medicis libris ostenderunt, quorum nentionem iniicere juvabit. Nonnulli causticis corrosivis eandem peragere tentant, & scarificatione profundiori inter sanam, & mortuam partem facta pulverem ex arsenico inspergunt, vel illum cum unguento ægyptiaco subactum applicant. Alii, ut POLEGRINUS, Medicus Callus, cuius meminit *Cbaras in pharmacop. reg. pag. 293.* butyrum antimonii cum corrosivo sublimato remixtum in usum trahunt; alii id oleo vitrioli vel salis, ut FABER in *chirurg. spagyri. pag. 172.* præstare conantur, alii iterum actuali cauterio infectam partem inurunt. Denique recentiorum plurimi corruptum membrum ense rescidendum putant, ne pars sincera trahatur, & ideo novacula vel alio instrumento incisorio quicquid peccat & corruptum est resecant. At vero, si omnibus penitatis, proferre debeam, quid sentiam, ego certe postremum separandi modum reliquis longe præferendum, maximeque adhibendum suadeo, si caro multulosa altius fuerit infecta. Hoc enim pacto non modo totum illud, quod peccat, citius tollitur, sed recidiva quoque egregie avertitur: ut taceam denique triplia exempla, ubi

caustica illa virulenta, ut arsenicum & mercurius sublimatus, externe applicata penetranti acrimonia sua in nervorum systemate fævillima eaque funesta concitarunt symptomata.

## §. VI.

Quodsi igitur gangrena late proserpens contagio suo funus partis & inde corporis minatur, totumque membrum occupavit & encavat, unicum & secundum, licet miserrimum, & crudele eit remedium amputatio, seu extirpatio partis. Quicquid enim ad vitam revocari nequit, optime a viva parte separatur, præsertim quum dubia spes desperata salute melior, longeque consultius sit, partem hominis, quam totum hominem funeri dare. Quo vero plenius de ipso resecandi modo confit; operæ pretium erit, ut, quæ ante, sub & post operationem observanda sint, breviter strictimque moneamus. Primo itaque, ut ordine procedamus, in Quæstionem venit: quænam remedia ad facilitandam operationem interna propinari debeant; ubi sciendum est, desideratissimam afferre opem sic dicta confortantia, spirituosa analeptica, quæ blandis sulphureis partibus foeta vigorem sanguini & cordi addunt: qua virtute imprimis splendent aqua cinnamomi cum vino Hispanico confecta, aqua flor. aurantiorum, lilio convallium, alborum, rosarum, effentia ambrae, syrpus balsami Peruviani, spiritus volatilis oleofus cum oleo cort. citri recenti & cardamomi essentificatus; quæ invicem vel per se, vel cum vino rhenano bono haustu exhibita egregie roborant. Confert quoque tali in casu commendare juscule bonæ notæ refectoria ex vino, juscule carnis, vitello ovi, succo citri, saccharo & cynamomo parata: multo vero certior erit effectus, si hæc analeptica cum alexipharmacis supra dictis commixta in convenienti dosi propinentur.

## §. VII.

Opera  
tionis  
descri-  
ptio.

**§. VII.** Ipsam sectionem quod attinet, implorato summi Numinis auxilio, ante omnia chirurgus prudens, pius, expertus, & qui omnia ad hoc opus necessaria instrumenta in promptu habet, eligendus est. Dein detineatur patiens vel imponatur in scannum conveniens, & chirurgus trahat cutem, musculos & carnem fortiter versus sanas partes, ut operatione peracta ossi denudato iterum obduci queant. Postea vinculo valido &, ne facile relaxetur, satis forti, non tamen adeo lato constringenda est cutis, partim ut atrox dolor in extirpatione praecaveatur, partim ut enormis haemorrhagia, quæ presso pede dissectionem ampliorum vasorum subsequitur, impediatur. Et quamvis primum vincula non sine gravi dolore iniiciantur, postmodum tamen omnes cruciatus, qui ex sectione oriuntur, leniunt & obtundunt, ut vix ullus doloris sensus percipiatur. Alii malunt, ut duo robustiores viri, praecipue in partibus carnosioribus fortier manibus constringant. Locus, ubi applicatur ligatura, sit aliquot, vel duos tantum transversos digitos supra partem abscondendam, ne secta carne ligatura decidat. Prius autem quam sectio peragitur, filum atramento tintatum circumligandum est loco incidendo, qui ad minimum quatuor digitos transversos esse debet supra carnem emortuam atque corruptam; postea cultro falcato satis acuto cutis & caro musculosa ad os unique una sectione est separanda: quo peracto protinus musculi ab osse tam foras, quam intrinsecus, satis ample tamen spatio sunt sejungendi, quo locus detur ferræ, quæ satis acuta, ossibus a periostio bene purgatis applicanda, & primo fibula, deinde tibia est abscondenda cito satis actuto, agilique dexteritate octo vel novem tractibus, hac adhibita cautela, ne nimio motu & concus-

sione ægroti sœva obveniant mala: Et ubi in pede operatio suscipitur, pes bene est extendendus, ita tamen, ut paulatim ad intra inflexus teneatur, quo ambo ossa æqualiter ferra possint præscindi.

**§. VIII.**

Peracta sectione, sanguinis profluviū sistendum, quod variis modis chirurgi præstare solent. Nonnulli, uti PARÆUS in chirurg.

Quibus  
fanguis  
sistit de-  
bet.

lib. 1. cap. 20. & 21. tenacula vel volfella vasā apprehendunt, acu transfigunt & obducto filo deligant; quoniam tamen arteriæ post sectionem breviores sunt, & intra carnem se occultant, forcipe non comode possunt teneri, & ad deligationem extrahi: deinde cum ligature arteriarum tempus & moram, quam ægri imbecillitas atque defecctio raro permittit, requirunt, imo ipsum vinculum, quod ad sanguinis fluxum cohibendum fortiter stringi debet, quandoque arteriæ tunicas diliscat, tutius est, a tali modo abstinerre. Nonnulli cauterio actuali, seu ferro ignito carnem adurentes fibras vasorum crispan & constringunt, sive remoram sanguini iniiciunt: quod quidem remedium improbare videtur HORNİUS in medicina, quia tali cauterisatione crusta gignitur, quæ postea decidens novo sanguinis fluori ansam præbet; attamen, quoniam facillimum & securum est, in illis casibus, ubi mora periculum minatur, vel remedia styptica non ad manus sunt, item ubi corrupti quidpiam remanserit, omnino porest adhiberi. Alii stypticis tam solidis, quam liquidis, uti sunt vitriolum cyprium, solutio vitrioli albi, liquor stypticus Danius ex alumine, vitriolo, oleo vitrioli & aceto paratus, item pulvis stypticus HILDANII &c. sanguinem compescere student: quam methodum etiam nos in primis laudamus, eodemque fine potissimum, & instar omnium caput mortuum vitrio.

vitrioliprobe exustum ex mente HÉ-  
URNI in commentar. ad HIPPO-  
CRA'TIS apborism. commendamus.  
Quodsi autem compositum desidera-  
retur, ita poterit confici: Rec. bo-  
li armen. uncias quatuor, sanguin-  
dracon., aluminis, terræ sigillatæ  
ana unciam unam semis, nuc. cu-  
pressæ, gallar. ana unciam unam,  
capit. mortui vitrioli uncias duas.  
M. F. pulvis. Ex liquidis, quæ fa-  
cilius penetrando sanguini coagulum  
inducunt, omnibus palmam reddit  
dubiam liquor martis, quem oleum  
martis dicunt, quod ex capite mor-  
tuo florum salis ammoniaci martia-  
lium, aeri libero exposito per deli-  
quescentiam emergit, & quovis sty-  
pticō est præsentius. Imo quoque in  
Ievioribus læsionibus solus spiritus  
vini omni phlegmate orbatus locum  
invenire poterit. Modus autem ap-  
plicandi styptica hic est. Tuundæ  
insignes ex lino discepto confecta  
albumine ovi conquassato madefacti  
& pulvere styptico contigerunt, vel  
liquori styptico immersæ ipsis vasis  
applicantur, quæ prout amplitudine  
differunt, diversas quoque magnitu-  
dine turundas exigunt.

## §. IX.

*Alli san.* Sedato sanguinis fluxu opus est,  
quinem ut vincula stypfactiva removean-  
tis, & confo-  
lidaudi  
tur, cutis remittenda, quæ os & bo-  
nam partem læsionis, imo nonnum-  
modi.  
quam totam contegit: dum enim  
pelle ista vasa conteguntur, partim  
& fluens sustinet sanguis, partim &  
consolidatio promovetur. Hoc fine  
Venetorum lictores, teste *Bartholom.*  
*MAGGIO*, qui facinoroso homini  
manū abscindere debent, pellem  
ad superiora trahunt, post amputa-  
tionem vero illico laxant, & dili-  
genter circa juncturam consunt,  
vulnerique ventrem gallinæ morien-  
tis adhibent. Quod quidem a *GA-*  
*LENI* sententia *ib. §. method.* non  
abhorret, ubi *sanguinis fluxum ex*  
*proprie* *cutis superpositione refrenari*  
perhibet. In Belgio hic modus ad-

modum est familiaris, & multiplici  
usu comprobatus: nimurum tibia se-  
cta musculus gastrocnemius, vel ejus  
portio adhuc salva non abscinditur,  
sed a reliqua parte separatur, qua  
deinde membrum sauciatum obvo-  
luitur, & sic brevi tempore sanatio  
absolvitur. Imposito postea pulvina-  
ri linteo albumine madefacto ad re-  
plendam cavitatem, vesica bubula  
satis fortis, & aquæ calidæ prius im-  
mersæ toti truncu obducitur, donec  
hæmorhagiæ metu transiverit. Ter-  
tio vel quarto die remota ligatura ite-  
rum pulvis stypticus cum albumine  
mixtus imponendus, operaque danda  
est, ut indurata, & inglutinata  
emoliantur, & eschara decidat: ad  
quod egregie facit digestivum exmel-  
le, terebinth. pulv. aristoloch. irid.  
florent. thure, & spiritu vini para-  
tum. Eschara delapsa vel filo vulneris  
os latis futuris constringendum,  
vel per emplastra cutis attrahenda:  
Luxurians, & spongiosa caro coer-  
cenda est insperso pulvere radicis  
ireos & aluminis usci. Tandem ci-  
catrix emplastro diapalmæ, item de  
cerussa, nec non unguento desiccan-  
te rubro inducenda est.

CAUTELÆ ET MONITA  
PRACTICÆ.

## §. I.

**Q**uodsi ad meliorem remediorum *Cautelæ*  
externorum in gangrena ope-*circa sca-*  
rationem scarificationum est indica-*rificationes*  
tio, cavendum est, ne ipsæ in par-  
tibus tendinosis, manuum pedumque  
digitis, vel ubi maximus adhuc æ-  
stus cum robre conspicitur, in-  
stituantur. Sed longe felicius id  
fit in partibus carnosis jam corru-  
ptis, vel corruptioni proximis: in  
his enim scarifications, vel etiam  
profundiores commode inveniunt lo-  
cum. Et sane mirandum est, post  
scarificationem peractam in partibus  
valde tumentibus illico detumescen-  
tiā

tiam sensibilem cum flatuum emissione deprehendi, luculento indicio, non tantum infarctum humorē, sed & expansivam elasticam vim grandiores hos tumores gignere.

## §. II.

*Circa in-  
terna si-  
corbu-  
rus &c.  
concur-  
rit.*

Varia a nobis commendata sunt interna alexipharmacā, & diaphoreticā, quæ in malo, præsertim a causa interna orto mitigando non parum præstant utilitatis. Si quando vero simul scorbutica labes concurrunt, specifica adniſceantur anti-scorbutica, & si lues gallica originem malo, & sustentationem suppeditet, remedia huic morbo accommodata in usum trahere expediet.

## §. III.

*Circa  
amputa-  
tionem  
qua con-  
fideran-  
da.*

Prius quam amputatio membrorum sphacelo infectorum suscipitur, varia probe consideranda erunt momenta. Ante omnia vero deliberandum est, an sine vitæ periculo extirpatio partis fieri queat? Quodsi enim tales partes sphacelus adoritur, quæ aut non commode deligari possunt, aut amplioribus arteriis, & venis instructæ magnam sanguinis viriumque sub sectione faciunt profusionem, satius intermittitur. Deinde examinandum est, an vires ægri consentiant? Vires enim, quæ vitæ conservatrices sunt, merito in subsidium vocari debent, quia metus, dolor, hæmorrhagia, adhuc maiorem earum inferunt jacturam. Ubi itaque vires ex vehementia morbi jam succumbunt, pulsus arteriarum debiles micant, & defectio animi jam prætens, vel metuenda est, ibi cautissime cum auxilio hoc crudeli mercari oportet.

## §. IV.

*Circa  
spita.*

Plurimi ex vulgo chirurgorum & medicorum ad præcavendos dolores in operatione metuendos opiatā, vel in dupla dosi propinan, sed iniquo fane ausu pessimoque effectu. Nam ordinaria opiatorum remedia non modo atrociam dolorum vix avertunt, uti s' p' numero observare

mihi licuit, verum etiam, si in excessiva, quantitate offeruntur, metum iniciunt, ne sopitos ligatosque spiritus somnis sequatur semipermanens. Deinde opiatā, dum sulphure suo vaporoso liquidi nervorum tenuissimi activitatem, & elateriem obtundunt, vires destrunt, & quo minus venenum grangranosum foras propelli possit, efficiunt. Idem tenendum arbitror circa usum opii post operationem peractam, de cuius noxa HORSTIUS lib. IX. obs. 20. notable, sed tragicum refert exemplum. Quæ cum ita sint, nos in utroque calo usum narcoticorum penitus damnamus, longeque rectius ac securius remedia supra præscripta analæptica temperata commendamus?

## §. V.

*Circa lo-  
cum, ubi  
operario  
instituen-  
da.*

Circa locum, in quo operatio celebranda sit, variæ inter auctores vigint controversiæ. Multi in articulo amputationem instituere suadent, quoniam ibi nec hæmorrhagia metuenda, nec ossium fit nudatio. Verum enim vero, non desunt prægnantes rationes, quæ contrarium magis suadent. In articulis enim ossium juncta non tam promte inventur, nec cicatrix facile inducitur; imo etiam malum non semper in articulo, sed s' p' in medio membra hæret, ideoque tam altam resectionem raro poscit. Aliter autem res s' p' habet, si digitii articulus est rescidendus, quod optime in juncitur, & quidem forcipe peragendum est. Porro, altera oritur quæstio, utrum in parte sana, an emortua operari liceat? Nonnulli quidem, uti sunt GALENUS lib. 2. de curandi rat. cap. 9. VIGO lib. IV. cib. cap. 7. FALLOPIUS, & AQUAPENDENS, &c. in emortua parte, qua sanam partem vicinam attingit, id fieri debere contendunt, & ita incidendum membrum sanum statuunt, ut aliquid corrupti remaneat, quia tunc minor dolor, & minor quoque hæmorrhagia

per-

pertimescenda esset. At vero, consilium hoc periculorum videtur, quoniam malum illud, quod relinquitur, ex facilis se multiplicat, sensim obrepit & ulterius inficit. Rectius itaque judicat, sibique perit simorum chirurgorum ad sensum conciliavit CELSUS lib. VII. cap. 4. in hunc modum: inter sanam vitiatamque partem incidenta scalpello caro usque os est, sic ut neque contra ipsum articulum id fiat, & potius ex sana parte aliquid excindatur, quam agra aliquid relinquatur. Regula tamen exceptionem patitur in tibia; in qua si sphacelus sit supra malleolos, prope genu praeclio est facienda: quod enim relinquitur frustum, nullum umerum, sed magnum potius incommodum ægro afferit, dum ligneo crure ipso utendum sit, & pars otiosa in posteriora vergat. In brachio tantum conservetur, quantum commode alligandæ, & aptandæ manui ex metallo confectæ sufficit. In pedum manuumque digitis, ut diximus, in articulo id ipsum fieri debet, ubi nervi, & tendines incisi sursum attrahuntur & carne obteguntur.

## §. VI.

**Circa** Ad feliciorem operationis successum hæ observandæ sunt cautelæ. Primo omnium chirurgus debet cavere, ne exponendo instrumenta, timorem ægroti incutiat: novi enim plures panico quasi terrore sic correptos & pæne exanimatos. Deinde, nec vacuo stomacho, nec nimis replete aggredienda res est, quoniam ille sœpe molestam accersit syncopen, hic sœpe causa est, ut cibus propter agitationem corruptatur: tuitius tamen suscipitur horis matutinis quam pomeridianis. Postea, denudatae partes, & ossa non diu aeri sunt exponenda, ne hic conglutinationem impedit, & corruptionem nigredinemque ossi inducat. Neque minus post operationem insistendum est remediis internis refocillantibus, & alexipharmacis temperationibus:

quo nomine in primis mixturam, quæ ex vino, oculis cancer. aqua cinamomi, melissæ, coct. citri, nucifæ, & paucis theriacæ coelestis granis constat, commendare luet. Denique ad crustæ, vel medicamentis, vel ignito ferro inducta a carne resolutionem non properandum est, ne inde profluvium sanguinis denuo proritetur. Quum autem putredo cessaverit, nec amplius sanguinis profusio metuenda fuerit, ea, qua crustam detrahunt, applicanda sunt. Et ubi post crustæ casum, adhuc inflammatio adest, unguentum dia pompholygos, omisis omnibus calidis, & acrioribus, adhibere convenit.

## §. VII.

Tandem de symptomatibus operationem subsequentibus, qualia sunt syncope, haemorrhagia, febris inflammatoria cum phrenitide, delirio, & de novo gangrena & sphacelus, pauca adilicere expediet. Syncope, quæ potissimum timori, & terrori, nimisque sanguinis profusione debetur, vel in sphacelo a causa interna nato propter malignitatem, liquidum nervorum tenuissimum inquinantem ortur, & sœpe sudorem frigidum foetidumque comitem habet, analeptica & alia excitantia requirit, quorum feriem longius hic recensere supervacaneum erit. Si haemorrhagiae, ut facile fit, de novo repetunt, videndum est, ne æger multum se commoveat, sternutet, vociferetur, tussiat, aut corpus cultiris multum oneat, vel aliis sanguinem commoventibus utatur; imo quoque ipsi dormenti semper vigilans adsit minister, qui cuncta observet. Neque tamen semper necessarie est, ut ad taleni haemorrhagiam suppressiendam prior admoveatur apparatus, sed tantum aqua frigida inspersa, stuppis cum pulveribus hypnoticis, &, si vires id permittunt, venælectione in parte opposita tandem est, an cohíberi possit. Illud autem

**Circa**  
sympto  
matum  
tracta  
tionem.

autem maxime meretur observatio-  
nem, non solum post graviores mem-  
brorum contusiones, verum etiam  
post illorum amputationem frequen-  
tem narium contingere hæmorrhagiam,  
quæ, me judice, a sanguinis  
circulatione, ex arteriis in venas non  
rite procedente derivanda est. Ma-  
gna enim arteria vel amputata, vel  
parte ejus ligata & obstrœcta, ne-  
cessario sanguis, qui partem emor-  
tuam & detruncatam transiret, &  
per venam reverteretur, ad alias  
partes per arterias magno cum im-  
petu ruit, & qua data apertura effluit.  
Hinc optime annotavit HIL-  
DANUS lib. de dysent. cap. I. quod  
sanguinea dysenteria in iis, quibus  
membrum aliquod abscissum est, ex  
eadem causa proveniat. Febris in-  
flammatoria, quæ propter sanguinis  
& seritatis & corruptionem omnibus  
graviter vulneratis jungi solet,  
iis remediis debet tractari, quæ suo  
loco cum debitæ cautelis in medici-  
na hac systematica indicavimus.

## O B S E R V A T I O I.

## Enarrationes morborum.

Sphace  
bus in pe-  
de a cau-  
ta inter-  
na. **V**I generosissimus LI. annorum,  
temperamenti sanguinei cor-  
porisque habitus spongiosi, qui ju-  
ventutem vitæ militari addictus in-  
ter multas molestias, labores, va-  
riatesque in castris præcipue Hun-  
garicis ita consumserat, ut nullo  
incommodo valetudinis affligeretur;  
quum abdicato illo vita genere,  
canonicatu sat pingui, licet in lo-  
co paludinoso gaudens, commodius  
viveret, incepit arthritide laborare,  
ad quam acceperisse dispositionem a  
parentibus videtur. In victu dele-  
ctabatur fumo induratis, & falsa mu-  
ria conditis, nec non supra modum  
dulcibus. Vino multum antea usus  
nunc videbatur non carere posse:  
imo etiam veneris usu, animique  
affectuum intemperantia excedebat.  
Mature confugiebat ad usum fon-

tium, babitque Carolinas calidas &  
Teplice balneum adhibuit. Acci-  
dit autem 1715. ut eo ipse tempore  
pedem ligno allideret, leviterque  
vulneraret. Contemnebatur læsio.  
Sed altero die, cum ex loco calidi-  
ori ad humidum concedebat, fe-  
brilia symptomata emicabant, vul-  
nus inflammabatur, margo Spha-  
celo obsidebatur. Parebat tamen  
tunc morbus auxiliis, ut post septi-  
mum mensem vulnus perfanaretur.  
Anno sequente 1716. vir illustris  
per plures menses catarrhis, ventri-  
culi debilitate, soda, intestinorum  
inflationibus, & variis capitis mo-  
lestiis vexatus tandem ad fontis E-  
grani usum accedebat. Potaverat  
jani octo diebus sine incommodo.  
Sed quum tibialis aliquando detra-  
ret servus, illud madere deprehen-  
debat. Pes examinabatur, qui inter  
digitum quartum, & quintum le-  
vem quandam erosionem prodebat,  
sine ullo dolore. Post aliquot dies  
totus quartus digitus a colore natu-  
rali desciverat. Advocatus chirur-  
gus, post multa adhibita, ossicula  
sive fensu eximebat, tandem totum  
digitum, tanquam emortuum extirpabat. Serpebat corruptio sub tota  
planta ad calcem: accedebat fe-  
bris vulneraria vehemens, & glan-  
dularum inguinalium tumor. Tali  
rerum statu consilium expetebatur  
nostrum; mittebatur consilium, quo  
interna, & externa præsidia ostendebantur. Sed ipsemet æger celeri-  
me se hic e Variscorum finibus ad-  
vehendum curabat, ut proprius ipsi  
adfisterem. Adventabat satis misero  
statu, febri valde vexatus, viribus  
autem omnino fractis, appetitu amiso-  
so, somno fere nullo. Alvis diu  
clausa clystere subducebatur, unde  
meliuscule habere cœpit. Adhibe-  
bantur duo periti chirurgi, qui ex  
præscripto meo adhibebant remedia  
externa. Ipsemet pugnavi internis,  
quibus vires sustentarentur, & hu-  
mores depurarentur. Diæta recte  
con-

constituebatur : in prandio optimi vini Hungarici, vel veteris rhenani portiuncula præbebatur, post cœnam essentia aurantiorum ex corticibus recentibus parata. Mane infuso utebatur theiformi, in quo decem guttas balsami nostri liquidi, quod etiam inter prandium offerebatur capiebat. Subinde præbebatur pulvisbezoardicus nitrosus cum cinnabaris pauxillo remixtus, sœpe etiam pilulæ nostræ balsamicæ exhibebantur. Mirum quam cadaverosum odorem primis his diebus exspirabat æger, quories vel leviter insudabat. Glandulis inguinalibus imponebatur emplastrum ex cepis assis, veneto sapone, farina fœni Græci, cera, resina.

Pedis ulcus tale erat, quum adveniret. A dígito quarto pedis dextri per plantam excurrebat cavitas ad talum protensa. Circa utrumque malleolum rubor erat, jam ad livorem tendens, juncto non magno tumore. Gangrenam lentam & segniorem, non podagræ, ut ægrotus putabat, significationem hanc fuisse, post aliquot dies cognoscetebatur, quippe sphacelus manifestis signis sœle prodebat, ut incisione corruptæ partis opus esset. Incisus locus replebatur carptis linteis imbutis liquore ex spirito vi ni purissimo, cum cuius uncia una duæ drachmæ olei caryophyllorum puri, & genuini erant mixtæ. Hoc uno præsidio externo post aliquot dies omnino auferebatur putredinis progressus, & corruptum blande facile que secedebat. Quum secessio illa facta esset, magnitudo diffusæ prius corruptionis demum cognoscetebatur, quæ super malleolos ad palmæ longitudinem adscenderat, sic ut facile posset anterior manus intertendinem magnum, qui chorda Achillis audit, & ossa tibiarum intrudi. Secesserant enim præter cutem tendines multorum musculorum per hanc regionem progressi, ut peronæi tam antici, quam postici, nervi etiam multi, quorum aliquis, in quo corru-

ptio ad superiora serpebat, non sine dolore excidi in sana parte debeat. Planta, quoniam subter eam cavitas decurrebat, incisione longa usque ad digiti quarti locum debebat incidi, ut mundificantia melius possent adhiberi. Ossa sic satis libera manserant, præter partem calcanei, quæ aliquid passa erat, & satis tarde cariem suam demittebat.

Quum corruptio jam constitisset, & emendata esset, prædicto liquori adiiciebatur balsamus peruvianus; tandemque ad extracta vulneraria, & myrræ succinique essentias ve niebatur. Sed caro, quæ primum enascetebatur, hebes erat, donec pro ventus ejus ex illis partibus, quorum nervi remanserant, ad claudendum tandem magnum hoc ulcus feliciter & ex voto succedebat. Atque sic vir ille plene convaluit, non solum pendibus suis insistere, sed deambulare, quin scalas adscendere valeret. Atque hoc statu per triennium duravit; ubi factum est, ut incommoda tem pestate molestum iter susciperet, & in pristinum malum, cui nunc lethalia symptomata accedebant, re laboreretur.

### E P I C R I S I S.

Affectus ille gravis, quo æger afflictus fuit, species sphaceli chronicæ est, qui CELSO cancri nomine venit, & a causa potissimum interna suam petit originem. Videamus jam, quænam in generoso paciente ad hujus genesin multum contulerint. Deprehendimus autem, ipsum inter strenuos militiæ labores com mode degisse; hoc autem vitæ generi in quietius mutato, arthriticis infestatum esse cruciatibus, cum pancratice cœpit vivere, & ob appetentiæ vegetiorem alimenta non modo copiosiora, sed & temperiei humorum incongrua, nimis dulcia, salsa, acida, fumo indurata, adsum fit, & vinum quoque meracum

copiosus ingessit. Maximum autem pondus attulerunt animi graviores, & diutius afflgentes perturbationes, quarum impetu nihil valentius est, ad motuum vitalium œconomiam turbandam, ad digestionis, & chylificationis negotium pervertendum, & ad sanguinis, & humorum massani corrumpendam. Nec aeris vitium reticeri debet, qui illo loco, ubi vir generosus a multis annis domicilium fixit, copiosis aquis, lentissime decurrentibus, & multis spatiis per totum annum stagnantibus cinctus est. Doloribus arthriticis, ad quos dispositionem a parentibus accepit, fuit corruptus, quia debilitate generis nervosi nativa quasi laboravit. Aquarium mineralium usū magis lœsus, quam adjutus fuit, forsitan intempestivo, & non satis circumspecto usū. Plura enim novimus exempla, ubi quidam vel natura, vel morbo aliaque causa, ut senio debilitati, non sub debita præparatione, aut non conveniente regimine mineralibus fontibus usi fuerunt, & gravem noxam, imo artuum sphacelationem incurserunt. Nam aquarium multo potu spirituoso in sanguine partes, quæ pauciores jam sunt, dissipantur: unde visystatica motrice, quæ fluida debet impellere, & in circulum agere, imminuta stagnationes humorum, quæ in corruptionem abeunt, in remotis maxime partibus, ubi fluidorum progressio semper tardius procedit, contingunt. Nostri ægri pes leviter vulnerabatur cum modica contusione, & postero die, movebatur corpus cælo sereno, & æstuo-  
so ad locum humidum, horror febrilis cum sublecente calore insigni corripiebat: qualis febris species ad erysipelaceam referri debet, quæ arthriticis, & podagrīcīs valde est frequens atque solennis, & juxta CELSUM lib. V. cap. 26. magis perniciosa, si levi vulnerationi supervenit. Testatur enim de copia mā-

teriæ peccantis, quæ hunc motum febrilem excitat: quam etiam exinde judicare possumus, quia patiens catarrhis, imbecillitate ventriculi, soda, flatulentis, & variis caput adfligentibus malis per aliquot continuos menses fuit afflicetus, antequam ultimo ad fontium usum pergeret, & loco speratae sanitatis tantam calamitatem reportaret. Hanc febrem erysipelaceam utroque tempore passus est generosus ægrotus; sed in posteriore morbo insignis rubedo fuit in utroque latere cruris inferioris. Gangrænam hanc fuisse, eventus docuit, sed admodum fēgnem, & lentam, qualis a causa interna, ex ingenti humorum impuritate, sine sensibili dolore, oriri solet. Hujus generis exempla videri possunt apud DODONÆUM medicinal. observ. 30. 33. & 37. His a Dodonæo notatis adiicere possumus EUGALENI observationes, qui pag. 125. in medium afferit senem supra septuagenarium, longa moestitia consumptum, in quo vulneratio pedis simul ac semel a pustula levi incipiebat sine præcedente dolore, inflammatione vel febre, & per duodecim hebdomades serpendo tandem interficit. Apud eundem auctorem videre licet plures historias eorum, qui ulcera gangrenosa, & sensim emorientia sine dolore habuerunt. Quod etiam PAUL. BARBETTE in sua chirurgia annotavit, ubi recte meminit, si ex scorbuto sphacelus post maculas subnigras oriatur, partis stuporem, & tandem mortificationem sine ullo dolore succedere. Denique quod in nostro ægro corruptio Jongini ad vicinas partes diffusa fuerit, id mea quidem sententia factum est, quod nervi ac tendines copiosius in extrema pedis parte concurrunt, qui subtilissimo fluido, quod a ccrebio ad ipsos influit, orbati, quam facile labem ulterioris serpentem suscipiunt.

In curatione allaboratum fuit, ne  
gan-

gangrænosa corruptio ulterius propagaretur, sed id, quod jam corruptum, a fano discederet. Erat ad compescendam putredinem celeri, & efficaci auxilio opus, quod ex votu attulit spiritus vini optime rectificatus, balsamica & longe penetrante virtute olei caryophillorum non adulterati imbutus. Interne ex medicamentis roborantibus, putredini resistentibus, & quæ simul transpirationem promovent, ad meliorem externorum operationem balsamum nostrum liquidum, ex præstantissimis, & puris oleis nervinis cephalicis, cum spirituoso vehiculo maritatis constans, fuit exhibitum; quod medicamentum nervoso generi amissimum viribusque roborandis aptissimum corruptioni humorum ulteriori non modo resistit, sed & circulationem sanguinis, sub qua sordium putridarum mediante transpiratione fit excretio, promptiorem efficit. Haud dissimili virtute etiam bezoardici pulveres, qui ex diaphoreticis fixis cum refracta dosi nitri, & camphoræ remixtis conflati sunt, splendere solent. Ex alimentis pauciora oblata sunt, sed digestu & in chylum redactu facillima: impura enim corpora quo magis nutritiuntur, eo magis lœduntur. Concessus etiam fuit vini rhenani generosi veteris ad vires collapsas restituendas haustus. Pulchre enim CELSUS lib. V. cap. 36. de præsenti affectu monuit: *præcipue in hoc casu petendum non a medicamentis solum, sed etiam a vietus ratione præsidium est.* Præter hæc, locus sphacelatus a mortua carne, & reliquis corruptis partibus eodem externo remedio liberatus est, quo putredinis vis fuit infracta; nisi quod balsamo Peruviano, & aliquibus extractis vulnerariis fuerit temperatum eo fine, ut leniora hæc, & ex parte emollientia fibrarum semi-corruptarum resolutionem, & separacionem adjuvarent. Neque illud reticendum, sed potius ceu singulare

commemorandum est, carnem, quæ nova regenerata est, sensu omni penitus caruisse; quod aliunde vix derivandum est, quam quod nervi hue recurrentes, & sensum facientes, vi putredinis exciderint: quale quid vero non semper accedit, siquidem exemplo paralyseos nervi possunt affici, vel a violenta vulneratione consciendi, & tamen pars adhuc vita, & aliquali sanitate frui. Quam in rem notatu dignus est casus, qui in Epbemerid. N.C. dec. II. A. VIII. obs. 171. de pueri refertur, cui, prævia totius corporis lassitudine, defectu virium, & capitis dolore, capilli primo defluxerunt, mox futuræ crani ossium a se discesserunt, tandem ad reliquam corporis omnem compagnem putredo proserpsit; inter hæc tamen esculentorum, & potulentorum appetentia cum alvi excretione bene constitut, sine dubio, quia prægrandes ad stomachum abeuntes nervi difficilis a munere suo cessant. Tandem quod tribus annis elapsis malum redierit tandemque corpori jam nimis exhausto lethum intulevit, non adeo mirandum esse arbitror; quoniam partes corporis debitatem facilius, quam sanæ, data occasione vitium contrahunt. Quod quidem axioma si unquam, certe de partibus gangræna, & sphacelo tactis valet; unde ego plures a diris his affectibus restitutos, tandem iisdem mortuos esse animadverti.

## O B S E R V A T I O II.

**V**ir sexaginta annorum, obesus sphacelatus, sanguineque, & succis valde turgidus, ob robustiorem corporis constitutionem, nunquam fere graviter per omnem ætatem ægrotavit; nisi quod jam per aliquot annos a vita nimis sedentaria vinique Rhenani largiori potu varia expertus fuerit pathemata hypochondriaca, quibus abigendis thermis usus est Carolinis, venamque secandam præbuit. In-

Interim cum neglecta per biennium thermarum potatione omissoque venae sectione, præter spem omnium a suo, quo fungebatur, officio removeretur, gravi inde terrore ac mœvreto diu affectus in pollice pedis dexteri pustulam accepit rubram, & dolentem, quam parum attendens barbitonfori ostendit, qui præter solum emplastrum, loco dolenti apponendum nihil prorsus adhibuit. Hic vero cum altero die rediens totam partem affectam nigro colore tintam, & superne vesicula obductam invenit, hacque discissa carnem subiacentem doloris plane expertem deprehendit, dato emplastro cataplasma superimposuit, sed sine effetu, Accessitus postea medicus alius que chirurgus, varia applicuerunt remedia, quæ tamen ulteriorem sphacelosæ corruptionis progressum prohibere non potuerunt, ut potius corruptela, ulterius serpendo, non modo totum pollicem, sed & reliquos pedis digitos eadem labe infecerit, omnique sensu & motu privaverit. Rebus itaque tam misere constitutis duos exciderunt digitos, partique mortuæ unguenta illinerunt digestiva, ea spe, ut facta suppuratione eo melius mortua a vivis possint separari, partibus vero adjacentibus præter spirituosa imposuerunt cataplasmata; sed ne his quidem omnibus quidquam præstiterunt. Tandem, & ego in re tam ardua, & periculi plenissima adscitus primo omnium digitis emortuis a parte sana resecatis non affectæ tantum parti, sed toti pedi immediate applicandum curavi hoc epithema spirituosum; Rec. spiritus vini rectif. unc. duas, camphoræ drachmas duas, essent. scordii, myrræ, spiritus salis ammon. anatica portione drachmas tres, florum salis ammon. martial. drachmam unam. Huic superadditum fuit emplastrum opodeidoch, & cataplasma, cuius parandi modum supra in ipsa me-

dendi methodo præscripsimus. Ex internis remediis commendavi pulvres diaphoretico nitrosos, camphora remixtos, nec non mixturam analecticam putredini resistentem, quam pariter superiori loco innuimus, per vices hauriendam; idque tam felici successu, ut fecuta fuerit suppuratio, optimum in sphacelo signum. Nihilo tamen minus, quam remotis hisce remediis, me inscio alia fuerint substituta, accidit pro dolor, ut aucta debilitate, & anxietate, gravique terrore superveniente, æger animam non multo post exspiraverit.

## EPICRISIS.

Plerumque cacochymici, & senes, qui multum vitiosi sanguinis in venis alunt, præ reliquis omnibus ad sphacelosam labem sunt dispositi, præsertim si diuturno afficiantur mœvre; quo nihil ad motum sanguinis, per se jam languidum retardandum, ejusque corruptivam stasim induceadum, est potentius. Deinceps singularem meretur animadversionem, quod sphacelatio, in extremis etiam partibus oborta mox totum corpus gravissime lædat, notabilemque virium defectionem cum anxietate, & inquietudine inducat, ita prorsus, ut simile quid a gravioribus vulnerationibus, læsionibus vel exulcerationibus expectare yix liceat. Cujus phænomeni ratio in eo videtur reposita, quod putredo naturæ infinitissima in instanti quasi suam communicet energiam cum sanguine, qui ubi jam ex aliis caussis est vitiatus, perfacile inde penitus inquinatur, suoque motu intestino ulterius destituitur. Præterea quoque addiscere inde licet, partem demortuam ea, qua fieri potest, celeritate, a sana esse removendam, sanguinisque progressum in parte affecta remediis tam internis, quam

D

ex-

externis spirituosis , balsamicis , & volatilibus procurandam . Etenim , cum fluidorum progressivus motus , a quo vita , & sanitas pendet , unicus sit , qui tetram putrilaginem a corpore arcet , in proclivi est , nihil prius esse debere medico , quam ut hic vitalis motus rite promoveatur . Denique insignis virium languor , quem statim in principio morbi annotare licuit , non obscure indicat , corruptionem sphacelosam , simul in quibusdam visceribus internis delituisse occultam , quale exemplum non ita pridem in viro habui , cuius hepar sub sectione sphacelosum , & instar picis nigerrimum deprehendi .

## O B S E R V A T I O III.

Sphacelatio di-  
gitis gan-  
grana su-  
tae perve-  
niens .

**V**ir sexagenarius , temperamenti melancholici , qui ob genus viscerum suorum sedentarium , & largam ciborum crassiorum comeditionem sæpe molesta alvi adstrictione laborabat , intensissima quondam hieme iter aliquot miliarium faciebat ; quo peracto præter omnem exspectationem de nocte in ultimo digihi minimi articulo crudelissimo dolore cum rubore ac tumore juncto corripiebatur . Ad sociabat se febris cum calore intensissimo viriumque præcipiti lapsu , & brevi tumor totum occupabat brachium , quod mox nigrescebat . Articulus , ubi dolor exordium sumferat , examinatus omni sensu privatus deprehendebatur ; hinc forcipe ejus amputatio erat peragenda . Ne autem pestifera labes ulterius serperet , & similis emoriendi necessitas adnexit etiam partibus immineret , toti brachio calide duplicatis linteis spiritus vini camphoratus , & urina humana , in qua sufficiens salis ammoniaci , & vitrioli quantitas soluta erat , diligenter fuit applicata . Interne crebrius exhibebatur nitrum præparatum cum camphora , & tinctura bezoardica cum

spiritu cornu cervi , & nitri remixta . Nec denique potionis analipticæ confortantes ex aquis destillatis , & pulveribus cordialibus omittebantur ; idque per Dei gratiam hisce remediis obtinebatur , ut intra quatuor septimanas æger sanitati plenarie restitueretur .

## E P I C R I S I S .

1 ) Docet in primis hic casus , quam facile gangrenosa , & sphacelosa partis corporis corruptio oriiri possit , si ab aeris ambientis frigore minimi ejus tubuli , & canales constricti sanguinem crassum , & acrem , ab inordinata victus ratione accumulatum intus coercent , & libere perire non sinunt . Quod enim si accedit , non potest non sanguis ibi subsistens coagulari , & , nisi rursus in circularem motum redigatur , parti , cui fixus inhæret , tetram putrilaginem cum plenaria vitæ abolitione inducere .

2 ) Dein etiam hac morbi historia confirmamur , senibus maxime tales sanguinis , & humorum stagnationes esse familiares , qui ob plenum crassumque vietum , & exercitationem corporis omissam multis impuris , viscidis , & difficulter mobilibus succis scatent . Neque minus partes extremæ tendinosæ præ aliis ad tales labem concipiendam sunt dispositæ , quia in ipsis , ceu a corde remotissimis plerisque tardior solet esse fluidorum circuitus . Quod autem febris jungatur , hæc videtur esse ratio , quoniam particulae malignæ indolis putridæ a venis vasculisque lymphaticis resorptæ , cum sanguine communicantur , cujus totam massam inquinant & , nisi cito remediis , sordium malignarum exspirationem promoventibus internis succurramus , in eundem putredinosum motum coniiciunt .

3 ) Digihi articulum , tanquam par-

partem emortuam, & vivis non amplius adnumerandam resecandum curavimus, ne putredo ad proximas regiones pertingat. Et notabile est, ipsam naturam emortui a vivo, & sano separationem indicare, quod non modo exinde appetat, quod circulus ruber exquisiti sensus inter sanam atque mortuam carnem, & materia albicans puris spissioris instar emergat, verum etiam integra saepius membra, quod mirabile videtur, a corpore sejungantur. Sic integrum brachium, sine vita periculo, solius naturae beneficio separatum legitur in THOM. BARTHOLINI *bistor. anatom.* 69. cent. I.

*¶ 5. bistor. 63.* item in CATTIER *obser. 13.* Memorabilis quoque est casus, cuius mentionem facit NICOL. TULPIUS lib. 4. *obser. 51.* de consule septuagenario, qui tibia laboravit adeo corrupta, ut medicus & chirurgus ejus extirpationem, ceu unicum vitam conservandi remedium commendaverint: quibus tamen monitis cum parere negavit vir imperio adsuetus, sed misere periire maluit; factum est, ut tendinibus ac nervis ob diutinam moram ab acri pure erosionis, totus pes vitatus sedibus suis exciderit, & æger vitam reportaverit.

## O B S E R V A T I O I V .

*Sphacelus muscularorum glutaeorum in paralytico.* **M**ilitiae praefectus, quadraginta, & aliquot annorum, robustus in inferiori spinalis medullæ parte globulo plumbeo percussus quoad truncum ventremque inferiorem, ut & pedes totus reddebat paralyticus, omniisque sensu, & motu privatus. Non adeo multo post musculi ani sat vasti glutæi, quibus nullus inerat sensus, ad magnam superficiem corripiebantur putredine, colore nigricante, & cadaveroso scetore. Latissime serpente hac putredinis labe commendabatur carnis omnis emortuæ excisio, & aliquot

hujus carnis libræ sine ullo dolore usque ad ossis acetabulum excidebantur; dumque caro florida appareret, ab aeris accessu probe defendebatur stupris linimento balsamico imbutis, quod ex terebinthina, myrra, mastiche, olibano, balsamo Peruviano, oleo lumbricorum terrestrium, & spiritu vini camphorato constabat. Interne exhibebantur remedia putredini resistentia, & maxima admiratione dignum erat, quod ingens hæc cavitas intra quinque hebdomadum spatium tota iterum carne fuerit reclusa.

## E P I C R I S I S .

Quæ in nostro ægroto contigit sphacelosa muscularum glutæorum corruptio, non aliunde est derivanda, quam quod influxus liquidus nervorum tenuissimi in has partes fuerit interceptus. Causam tam inopinatæ in corpore sano catastrophes præbuit vulnus sclopitarium, quod inferiorem medullæ spinalis regionem valde læsit, & denegato ibi liberori spirituum motu paralysin induxit, quæ se ad omnes partes, a læsa hac portione excurrentes extendit, ipsaque simili movendi impotentia afficit. Quæ cum ita sint, jam plenius confirmantur, quæ supra de paralyticis diximus, quos propter impeditionem fluidi æreo-ætherei motum præ ceteris ad sphacelationis labem dispositos pronunciamus. Cæterum, & hoc momentum ex præfata morbi historia in usum physiologicum elicere possumus, ut videamus, quam necessaria sit, ad sanguinis circuitum promovendum tetramque putrilaginem a vivo corpore avertendam, debita, & non interrupta, tenuissimi hujus fluidi cum sanguineo latrice mixtio; ut ideo stoliditatis se satis accusent, qui activissimum hoc fluidum vel in dubium vocare audent, vel parum ipsi activitatis, & ad

vitales motus sustinendos utilitatis  
tribuere solent.

## C A P U T III.

De Purpura præsertim chronica  
scorbuti sbole.

## §. I.

Purpura  
defici-  
tio.

**Q**UÆ nostrum tempore passim grassatur purpura , nihil aliud est , quam mali scorbutici progenies , cum exanthematum , peculiaris plane indolis , eruptione in superficie corporis se manifestans , interdum cum febre satis acute , & maligne , interdum sine ea longiori tempore , & benigniori modo functiones corporis nostri pervertens .

## §. II.

.. differ-  
entia ab  
alii ex-  
anth. ma-  
tibus .

Purpura quum peculiaris exanthematum species sit , operæ omnino pretium existimamus , differentiam illam , qua ab aliis exanthematibus distat , & distinguere debet , primo omnium indicare . Charakteres vero proprii quasi , & essentiales purpurae sunt sequentes . Primo papulæ , quæ efflorescent , cum currugatione , aspredine , & ariditate cutis junctæ sunt . Deinceps nullum exanthema tam mobilis est naturæ , ut tam crebro , & tam celeriter ad interiora relabatur , & interposita mora denuo prodeat , quam hoc purpuraceum : neque ullum tam crebro , intercurrente mox æstu , mox refrigerio , mox pruritu , & punctura in corpore se prodit , quam purpura . Ceterum , omnes exanthematum species , in omnibus æque corporis regionibus , & tractibus in conspectum prodeunt ; purpura vero potissimum in collo , pectore , dorso , & manibus se manifestat , rarissime partes inferiores occupans : quibus peculiaribus notis a variolis , morbillis , petechiis , maculis scorbuticis , rosaliis , febre urticata , herpete ,

scabie , phlyctene , impetiginæ , &c. discernitur facillime .

## §. III.

Efflorescentiæ in purpura multum .. diff. etiam inter se ratione magnitudinis , figuræ & coloris differunt . Papulæ enim , quæ prodeunt , quandoque rubro , quandoque albo colore tinctoriæ sunt ; unde purpura distinguui solet in rubram , & albam . Ille vesiculos habet magis vel minus latus , quæ liquorem continent : alba vero nullas habet vesiculos , sed nodulos profunde in cute hærentes , milii figuram referentes , ad tactum asperos , humore spissiuculo , quasi purulento infarctos ; unde purpura alba miliaris dicitur .

## §. IV.

Præterea ; purpura magis vel minus benigna , & maligna obseruat- .. divisio-  
nem &  
benignam at-  
admodum infensis symptomatibus que hu-  
milia : benigna vero diutius sine febre durat , & non adeo vitæ infestis se manifestat symptomatibus , atque his potissimum notis incedit , & progreditur . Præcedit levis horripilatio , quam subsequitur corporis exæstatio , cum languore viriumque interdum apud imbecilliores ad lipothymiam usque dejectione . Præcordia stringuntur , & pectus angitatur , adfunt alta suspiria , anxieties , inquietudines , vigiliae , vel somnus mirum laboriosus , & interturbatus . Aëtus , & compunctorius sensus in dorso percipitur , alternante frigoris , horroris , & caloris intra cutim affectione , in vola manuum maxime sensili . In pueris lochiorum fluxus retinetur & lac e mammis resorbetur ac stilare cessat . His succedit cutis asperitas & instar anserinæ corrugatio , exsurgentibus innumeris papulis , five albis , five rubris , five utrisque sibi invicem appositis , milii semen figura & exiguitate referentibus , quæ pri-  
mum collum , deinde pectus & dorsum , ac

ac postea brachia, & manus occupant, & obsident. Et his summa in cute efflorescentibus, graviora illa ante eruptionem pathemata, in primis præcordiorum anxietas, cardialgia syncoptica, inquietudo, pectoris compressio, cum ægra spiratione, admodum mitigantur: pulsus, qui antea durior, contractior, & celerior erat, nunc mollius, liberius & remissius manum vibrat, animo vigor plane depresso, & dejectus reddit, arida cutis madescit, & alvus antehac tam duriter compressa, ut nec flatibus transitus pateret, laxatur, & non solum hos, sed nonnquam etiam stercora sponte protrudit.

## §. V.

Notabilis hæc symptomatum remissio, si in purpura, tam rubra, quam alba, vel utroque simul conspicua, post eruptionem constanter perdurat, vesiculae sensim sensimque explicitant ichore fætido plenæ, neque stationem suam deserunt, & retrocedunt, urina quoque magis saturata prodit, & sudor singularis, & consueti in exanthematico hoc morbo fætoris erumpit, sanguinis etiam per lochia fluxus reddit, lac mammas repetit, alvus vel sponte, vel clysterre infuso, aut suppositorio admoto, fæces vel flatus reddit, & intra septem vel plurimum adhuc dierum decursum, cum insigni extremorum pruritu, pustulæ disparent, & æger sensim sensimque ad sanitatem reddit. Hæc enim omnia subindican, non adeo enormi ægrum detineri imbecillitate, sed inesse adhuc solidis partibus motricem energiam motuumque vigorem, neque universam sanguinis, & humorum lymphaticorum temperiem destructam esse; ut adeo, hanc ob caussam materia hostilis peregrina jugiter, & æquabiliter a vitalium humorum confortio separetur, & ex interioribus ad exteriora ablegetur.

*... & pro  
Emissus.*

Hoff. Syst. T. IV. P. §.

§. VI.

Contra, aliter res sece habet in .. malitiae in-  
purpura magis maligna, ubi efflo-  
rescentiis sufficienter comparentibus, de-  
pulsus servat præternaturalem cele-  
ritatem, nec somnus redit, nec in-  
quietudo sedatur, nec respiratio li-  
berius succedit. Dein quoque utplu-  
rimum nimia serì per sudores sunt  
profusiones, qui, si statim sub initio,  
& per totum morbi decursum  
copiosius manant, virium colliqua-  
tionem, & cutis quasi paralyticam  
resolutionem subindican. Eiusdem  
quoque notæ sunt urinæ pallidæ, te-  
nues & copiosæ, vel continuus ad  
mingendum stimulus, nec non si urina  
ante coloratior & crassior reddita,  
subito limpida, tenuis & pallida  
prodit, ob spasticam renum &  
viatricum urinariarum striceturam.

## §. VII.

Præter hæc infasto omne persæ-  
pe accidit, ut pustulæ purpuraceæ mo-  
do apparet, modo disparent, ip-  
sorumque symptomatum atrocia eo-  
dem semper infestet gradu: quæ om-  
nia robur naturæ prostratum, vires  
deperditæ & magni istius nerveo-  
tendinosi ac porosi emunctori, quo  
universa sanguinis & humorum mas-  
sa repurgatur, cutis tonum destruc-  
ctum esse testantur, ut ea propter  
eius extima nervæ sensibilior portio,  
mox spasio contrahatur & crispetur,  
mox rufus laxetur & explicitetur:  
Longe vero deterioris indicii est, si  
materia relapsa interioribus firmius  
inhærescit, omnique ad superficiem  
corporis expulsione obserbit; quo fit,  
ut acerbiora reddantur symptomata,  
pectoris cum suspiriis oppressio in-  
tendatur, virium prostratio increbat,  
præcordiorum cum inquietudine an-  
xietas augeatur, & omnia in pejus  
ruant; unde etiam omnes, qui pur-  
pura decadunt, ob ea intro repullam  
& inde ortum malorum & pathema-  
tum augmentum pereant. Nam licet  
ante eruptionem purpuræ, materia  
illam gignens sit valde malignæ &

*Qui ul-  
terius  
ostendi-  
tur.*

D 3 per-

pernicialis indolis; attamen, si semel a sanguinis massa separata, & extra vitale consortium constituta fuit, ipsa illa mora, longe deteriorem naturam induit; sique ad partes vitae inservientes, maxime motrices & sensu exquisito praeditas, redit, operationes veneni æmulas patrat. Quare, sicuti in omnibus exanthematibus, ut petechiis, variolis & morbillis, gutta rosacea, scabie, tinea capitis, nec non podagra, arthritide &c. materia quædam, vitali corporis conservationi inimica, ad extrema semel propulsa longe vehementiorem efficit symptomatum insultum, si interiora repetit & vitalibus succis denuo permiscetur; ita ejusdem nocivæ & pernicialis facultatis esse receptas in corporis penetralia, purpura disparente, fortes, ipsa experientia luculenter testatur.

### §. VIII.

*Mortis indicium in purpura.* Funestum denique eventum mortemque haud longius abesse hæc nunciant: si firmissime intus obhærescente materia deleteria, interiora ardent & extrema rigida strictura detenta, copioso frigido sudore perfunduntur; aut si vicissim extrema æstuant, & in abdomine notabilis refrigerationis sensus percipitur: si porro tendines subflunt, facies comparet Hippocratica, virium defectus crescit, indignabunda desperatio animum turbat, arteriæ duriter, inæqualiter & tremulo motu micant. Hæc enim si contingunt, sæpius brevi post æger lethali lipothymia succumbit.

### §. IX.

*Purpura symptomatica Indoles & decursus.* Quamvis vero purpura cum, vel sine febre, sæpenumero primarius & idiopathicus morbus sit; non raro tamen, ut symptoma, alius, & maxime continuis febribus, ad exitum vergentibus, non sine discrimine complicatur. Non novum enim, sed admodum familiare, est quod purpura rubra & alba, vel utraque

simil, variolis, morbillis, synochis putridis, ardentibus; petechialibus quoque & petechizantibus aliisque epidemicis in declinatione accedat, & novam febrem cum diris symptomatum tormentis inducat: ita ut invado propemodum positis acute febrentibus, mox ex improviso horror, cum summa angustia, inquietudine, insomniis, æstu & intensa virium prostratione oboriatur, purpura demum in superioribus sparsim efflorescente; quaæ tamen, vires a priori morbo jam fractas penitus extinguendo, ægrum plerumque jugulat. Inprimis sæpius a nobis observatum est, purpuram hanc symptomaticam funestam fuisse juvenibus acuta laborantibus iis, qui antehac intemperantius vixerant, largiori & quotidiano potui indulserant, venereo exercitio vires consumiserant, & peregrinam humoribus crasis & diathesin induxerant, nec non si sub ipsius morbi decursu alvus occlusa, per aliquot dies purgamenta retinuerat, aut inconsulta medicatione, refrigerantia & acidulata, ut julapia & potionis, in nimia oblata fuerant copia. Ceterum, non tantum inclinantibus morbis acutis purpura sese adjungit, sed sæpius etiam ab initio & primis diebus purpuracei exanthematis quidpiam, cum aspredine, in variolis maxime & morbillis, prodit, & rarissime quidem cum bona & auspicata morbi successione. Siquidem non una aut simplici, sed variii generis excrementitia & exanthematica materia resertam esse vitalium humorum massam, indicium hoc præbet prorsus indubiatum. Denique etiam catarrhalibus Febribus, cum tussi & spirandi angustia, subinde in infantibus sese associat purpura, vomitu vel etiam alvi fluxu stipata; quam, si inclinat morbus, pedum & quandoque abdominalis intumescentia, cum, vel sine aridura superiorum partium, excipit, & ipsa, prout in locis montanis supe-

superioris silvæ Hercyniæ tractus observatum est, tandem sudoribus, vel sponte obortis, vel arte elicitis, ex toto cedit atque abigitur.

## §. X.

Rubra sæpe fit ab initio cum febrili quadam commotione ingruat, & semper vespere sciente cœlo gravius infestet; attamen longius procedente tempore, febris cum pulsuum frequentia expirat, symptomata complacantur, ipse que morbus benigniorem induit naturam. Quare si in principio imprudentiori medicacione excipitur, & corpus valde impurum, sive cacochymicum offendit, ad plures sæpe menses, non quidem sine insigni molestia, & pathematum novo subinde recursu, perseverat, neque tamen fuisse facile fortitut eventum.

## §. XI.

Purpuram scorbuti esse progeniem. materia supra quidem innuum; longe tamen clarius haec elucescit veritas, si utriusque purpuræ causam materialē, quæ pariter ac in ipso scorbuto sanguinis dyscrasia nititur, consideratiū perpendimus. Nos autem in illa designanda a vero non ab ludere videmur, si dixerimus: purpuram, & rubram, a sero impuro falso, acri, sulphureo, excrementitio; albam vero & acutam miliarem, a lympha, & succo nutritio ad acido-vappidam putridam naturam accidente, subordinari. Diversæ enim naturæ, & discrepantis indolis ambo hi corporis nostri succi sunt. Videlicet serum dicitur, admixtus ille sanguini humor, qui plurimis salinis ac mucidis partibus, per innumera emunctoria, & colatoria, tum segregandis, tum eliminandis, refertus, consistentiæ tantisper spissioris ac varii coloris est atque saporis. Lympha autem est pellucidus, insipidus & purus liquor, cuius subtilior pars fluidi cerebri, medullæ spinalis, & nervorum, nec non liquoris genitalis materiam præbet; gelatinosa vero soli-

dis omnis generis partibus in nutrimentum cedit, & tenuior aqua per lymphatica vasa ministerio valvularum & glandularum conglobatarum, ad fontem purpuræ vitalis, cor, regreditur, ibique cum partibus sanguinis dulcioribus aeroelasticis rursum nuptus, & quasi de novo animatus, unacum illo quoquoversus amandatur, suisque inservit usibus. Hinc descendentibus his a naturali sua indole, quilibet illorum peculiarem suscipit corruptionem, ex qua differens postmodum morbi emergit genius, diversa symptomatum vehementia, & majus vel minus periculum.

## §. XII.

Quod vero in purpura alba, lympha acore infecta sit, plura sunt, quæ id confirmant. In primis redundans in lymphæ & sanguinis massa ac acidum, ex nimia seri secessione huic morbo solenni, & tantum non essentiali, dilucide patescit. Ea enim acidus vis atque facultas est, ut sanguini insinuatum, ejus partes crassiores in coagulum mittat ac seri secessum faciat, quo fit, ut sudores largissimi erumpant, urinæ tenues & copiosæ flant, vel etiam salivationes, aut aquosæ per alvum dejectiones, oboriantur.

## §. XIII.

His suppositis, nostrum jam erit, ut clarior exponamus, quam ob causam purpura alba maxime puerperis infesta, & plerumque maligna sit. Quemadmodum vero in genere O-foi humores redundantius in corpore alunt, uti sunt foeminarum plurimæ, acidæ potius patent humorum vaporescentiæ, quam salino-sulphureæ corruptioni, & hanc ob rationem purpuram potissimum albam nanciscuntur: ita de miliaris hujus febris in puerperis frequentia hanc ex vero interponendam esse sententiam putamus. Seilicet, in gravidarum ute-  
ro, sanguinis tam progressus, quam regressus, ob nimium eo appulsum,

& vasorum distensionem, valde languidus, tardus & difficilis est; unde subsidente ibi diutius sanguine, lymphaticus humor, in vasa ipsi vendo dicata, magna copia fecedit, & in horum diverticulis quasi incarceratedus hærens, ex longiori mora vappescit, corruptitur & acorem contrahit, partibus subtilioribus spirituosis, quæ optimæ mixtionis sunt conservatrices, avolantibus. Quandocunque igitur enixo fœtu uterus concidit, iterumque coarctatur, neque squalidus lymphaticus humor cum sanguine fæculento effunditur & expurgatur, accedente ordinario tertio puerperii die motu febrili, in vasa majora is reprimitur ipsique cordi infunditur, ex quo, maligni instar fermenti, per corpus diffunditur & serpit, totamque sanguinis, & lymphæ, tam nutritiæ, quam nervorum, massam inficit atque inquinat.

## §. XIV.

*Rubra in puerperis*, & sanguinis falsa acris sulphurea peccat, symptomata non adeo græ non exitialia urgent, sed efflorescentiæ magis sunt chronicæ, facies inflata, & colorior, oculi scintillantes, major pruritus, ardor & punctura in cute est, neque tanta inquietudo & anxietas spirandique angustia affligit, & major salutis spes afflignet; nisi demum ipsi alba superveniat, vel rubra in albam mutetur, quod sanguiniscule ex malo regimine, vel medicatione perversa, vel etiam accedentibus gravioribus animi affectibus, contingit, dum superabundans lympha corruptitur, & tandem sub ipsa febre, & intestina calida partium motione, spirituosæ, tenues, sulphureæ avolant, relictis crassioribus acetosis vappidis.

## §. XV.

<sup>2)</sup> *Causa materia*-  
*lis purpu*-  
*re chro*-  
*nicae spe*-  
*cialiter* *tradtatur.* Ulterius, si paullo proprius spectemus originem, & indolem materialiter, quæ purpuram facit minus periculosa; tandem potissimum a par-

tibus salino sulphureis acribus feri; quod non per emunctoria, maxime cutis colatorium, elicetur, sed remanet, & deteriorem naturam calido motu intestino induit, derivandam esse censemus: idque plures rationes. Id enim experientia, optima rerum magistra subinde docuit, quod chronica purpura maxime eos invadere soleat, qui sanguinis impuri copiam alunt, ut scorbuticos, senes, feminas, quæ menstrui, & viros, qui hæmorrhoidalis fluxus detectu laborant, diæta falsa, vinosa, cerevisis crassioribus, & tabaci fumo delectantur, & habitu corporis laxiores prædicti, vitam agunt motus expertem. Deinde causa mali hujus ut plurimum est perspiratio subito cohinda, & cum ea repressæ sordes, sive ab aura frigidiori poros comprimente, sive a portu nimis refrigerato, aut repentinio incusso terore. Nam nota sunt nobis exempla, quod ingesta corpori, nimio sudore diffluenti, frigido intemperantius haustu, tandem gravissimorum subsequentium symptomatum choragum in eruptionem purpuratam exierit. Novimus etiam plures, qui exastutum prius in lecto, vel solis subitnere ardore, aut etiam sicco in cassis salariis balneo, corpus auræ frigidiori, ex boreali plaga spiranti exposuerant, eadem tentati sunt. Et ipsa quoque algida & borealis aeris constitutio, diutius regnans & perspirationis actum sufflaminans, in causa est, quod tam crebro & facile hoc malum recidivet, & in primis post solstitium hiemale frequenter repeat, præsertim mense Januario ac Februario, & de novo corpus infestet. Quanta enim algida & ex septentrione spirantis auræ facultas sit, ad excretiones etiam præternaturales per extimum corporis corticem succedentes, intercipendas, & reprimendas, notabilis admodum exemplo confirmat Laz. RI-

RIVERIUS obs. LIII. memorans : quod puer afflitus fuerit impetigine , ichorosam materiam sudante , succedente vero boreali constitutio- ne , suppressam esse foedam illam materiam , & in pulmonem con- veriam , asthma excitasse , idque desisse recurrente constitutione au- strali .

## §. XVI.

*Et effe-  
ctu reme-  
diorum  
confir-  
matur.*

Nil vero luculentius peccantem salino-sulphuream in purpura mi- nus acuta substantiam prodit , quam quod medicamenta , quæ salium spi- cula involvunt ac temperant , qua virtute splendent serum lactis , lac caprillum , & asinum , cum aqua Selterana mixtum , nec non deco- eta temperantia , loco potus ordina- rii usurpata , exoptatissimam in pur- purea hac labe spondeant medelam , & utramque in ejus persanatione ab- solvant paginam . Et vicissim , quod huic purpuræ , licet omnis perculsi- fit expers , si nimio calore externo , vel internis calefacientibus aut vo- latilibus pharmaci excipiatur , eo- dem modo ac scabiei , pustulis ul- cerosis , & aliis cutis defecationi- bus , ex prava , & falsa acri humo- rum diathesi provenientibus , dolori- , ardoris & pruritus augmentum accedit , & non raro sitis ac febris accendantur : eo quod salia his acrio- ra reddita , altius se se in cutis fi- brillas insinuant , easque lancingant , & vellicant .

## §. XVII.

In chro- nica ma- jor pec- cat sal- na acri- monia , quam in aiba . Accedit , quod chronicum hoc exanthema longe majori pruritu , & ardore stipatum atque molestum sit , quam album cum rubro mixtum : id quod certe nonnisi salinis , & acribus , sensibilem cuius substan- tiam pungentibus particulis tribui poterit . Eandem porro salinam humorum acrimoniam conspectius ar- guunt , hæc , quæ multiplici expe- riencia comperta habemus . Videli-

cet sæpius observavimus , quod aquæ salutares dulces , salini elementi , & purgantis facultatis expertes , ut sunt nostræ Lauchstadienses , a purpura habituali detentis potæ , insigniter alvum vacuent , & primis diebus , sex , vel octo quotidie sedes mo- veant , materia lecedente tam acri , ut anum etiam arrodat , quum elapsis aliquot diebus , gradatim pur- gans effectus exspiret , neque si in sequenti anno potatio repetatur , alvum deiiciens operatio canderi sublequatur . Neque reticendum no- bis videtur , quod in purpura contu- maci chronica scorbutica , post usum lactis vel aquarum mineralium tem- peratarum , non sine insigni emolu- mento balneum ex aqua dulci plu- viali suaferimus ; ita ut hoc aliquo- ties admisso , omnis punctura , omnis pruritus , omnis ardor in cute de- meretur , & efflorescentiae dispare- rent : indubio testimonio , contem- perata interius humorum acredine , & evocatis per relaxatos in balneo poros , quæ sub cute obhaerescant , acribus incrementis , ipsum morbum abactum esse & persanatum .

## §. XVIII.

Nunc vero reddenda erit ratio , *Ratio ,  
cur pur-  
pura cre-  
bro re-  
curreat.* quare nullum exanthema sanatum , quam rubra purpura , sic dicta scor- butica . Duplex autem nobis vide- tur subesse causâ : tum quod cutis to- nus in hoc morbo valde laedatur & destruatur , tum etiam , quod pur- puræ sæpius repetentis subiectum & sedes sint glandulæ congregatae . Quemadmodum enim cutis univer- sale omnium humorum emunctorium præbet , & ad sanitatem tuendam usus est longe præstantissimi : ita ma- xima etiam certe est noxa , quæ vi- tiata hac officina , in valetudinem redundat . Facile tamen vitium pati- tur , & plura sunt , quæ labem ipsi inferre possunt . Nam instratum hoc corpori integumentum , non solum

ex filamentis extremitatum nervorum sensibilibus, componitur, sed etiam ob implantata extrema arteriolarum, subtiliorum exhalabilem materiam vehentium oculum, totum tubulosum & poros perivium est: eaque propter, tam quoad suos tubulos & poros, quam quoad substantiam suam, non tantum subtiliori dilatationis & constrictions motu ac tono, verum exquisitiore etiam sensum pollet. Hinc quo major cutis est sensibilitas; eo facilius etiam injuriis affici & vigens in illa motus perverti potest. In primis ad aeris frigidi borealis, vel australis humidi calidi allapsum, facile alteratur, constringitur nempe vel relaxatur, & verum hygrometer microcosmicum constituit. Externe quoque causæ, quæ lœdunt, pungunt, vel scindunt, aut acrimonia rodente prædictæ sunt, nec non medicamenta acriora, nimis calefacientia, refrigerantia, pinguis & inviscantia, naturalem hujus integumenti tonum interpolandi, quin plane subvertendi, eximia pollut facultate. Mutato vero hoc & destruncto, non potest non graviter simul lœdi, saluberrima per hujus colatorii ostiola succedens perspirationis excretio.

## §. XIX.

*Quomo-  
do cuti-  
confor-  
matio-  
nem  
etia-  
terat.*

Quod si itaque aliquoties compages & conformatio cutis vasculosa & fibrosa lœsa, & tonus ejusdem, cum beneficio materia recrementitia foras per exhalationem dimittitur bonique succi revrehuntur, fuerit dirutus: prava utique dispositio & imbecillitas fibrillis inducitur, & firmius insinuat, ut deinde quam facile impuri humores eo adducti, rursus debili huic parti impingantur ibique subsistant. Et certe quam pertinaciter præternaturalis ejusmodi ad stagnationes dispositio cuti insidere soleat, & quam ægre submoveatur, luculentiter testatur gutta rosacea, quippe quæ, lœsa pariter gravius, copioso deposito ichore, & depra-

vata tenera & tubulosa cutis in facie textura, difficulter sanationem admittit & funditus extirpatur. Quare quum frequentiori purpuræ ad cutim accessu, ejus tonus, motus, robur & textura canaliculosa admodum immutetur & corrumperatur; non mirum est, si collecta ibi de novo excrementitia materia, idem morbus iterato producatur & purpura efflorescat.

## §. XX.

*Subiecta  
purpura  
funt na-  
sam mate-  
riales ne-  
cessaria viva sunt; turæ se-  
proximum jam est, ut, quæ remote res-  
ad ejus generationem conferunt, ex-  
plicemus: quod quidem non melius  
fieri posse confido, ac si subiecta pur-  
puræ considerantes simul ostendamus,  
a quibus causis huic morbo fiant ob-  
noxia. Primo autem notari velim  
loco, quod ii, qui sero plus abun-  
dant, quam sanguine, ut infantes  
& teminæ, quæ spongiosum gerunt  
habitum & temperamentum sic di-  
ctum phlegmaticum obtinent, pur-  
puræ, præsertim diuturnæ, quam  
maxime sint obnoxii: ita tamen, ut  
quo magis exundantes serosi hi hu-  
mores a puritate & blanda sua na-  
tura ac temperata schesi discedant &  
sorditie conspurcatæ sint, co diffici-  
loris quoque sanationis, eoque ma-  
gis ancipitis successus morbus ex-  
furgat.*

## §. XXI.

*Feminae  
sensi-  
biles &  
quocan-  
que mo-  
do debi-  
litate.*

Deinde, experientia compertum habemus, imbecillioris maxime & sensibilibus naturæ feminas, nec non quæ vires, ob graves animi ægritudines, in primis diuturnum mero-rem, attriverunt, vel cum nimis prodigiis sanguinis, sub abortu aut mensum excessu, profluiis effuderunt, vel etiam præcedente quodam diu affligente morbo perdidérunt, purpuræ tam chronicæ, quam acutæ & febri miliarie malignæ, esse expo- sitas. Nam in infirmis & debilibus ejus, modi corporibus lymphatici, blan-

blandi, nutritivi humores, perquam facile alienam indolem & spurcitem contrahunt; eo quod labefactato solidorum robore, lentius progreditur fluidorum cursus, & impedito legitimo secretionum & excretionum successu, cruditatum & sordidum in corpore sentina gignitur & coacervatur.

## §. XXII.

*praesertim puerperas divites ex diæta vitiis.* Maxime omnium vero puerperis, febris, miliari purpura stipata, nostris potissimum in oris familiaris & saepius funesta est. Erumpit hæc ipsa tertio plerumque a puerpero die, quo febris lactea prodire solet, interdum tamen septimo, quandoque etiam decimo quarto demum die, invadit. Quod si igitur hujus ortum & causas pervestigatius paullo scrutari velimus, nullæ prorsus prætermittendæ erunt circumstantiæ, quo illarum beneficio, ad intimam ejus naturam & veram genesin pernoscendam pervenire possimus. Jam vero constanti & attenta obseruatione in propatulo est, feminas pauperes, rusticas, minus delicatas, & quæ corpus motu ac laboribus crebrius exercent, in puerperio hac febre non affici: contra divites, tenebras, sedentariæ vitæ, somno, luxui & lautiori diæta deditas, nec non quæ paullo sensibilioris naturæ, & in animi ex affectuum intemperantia commotiones proniores sunt, perquam facile post partum in purpuram incidere. Præterea ad veritatem quam maxime accedere videatur, quod laetus & pollucibilis vi Etus, qui rejectis durioribus paullo & salitis alimentorum generibus & obsoniis, leves cibos, farinacea, placentas, dulcia, fermentescibilia, horæos fructus & nonnisi palato accepta & potulenta admittit, nec non aer minus sincerus, vappidus multique sordidis & putridis halitibus, ex paludosis circumiectis stagnis in auram evectis, refertus atque corruptus, una cum aquarum impuri-

tate & squalore, uti omnium morborum, ita maxime hujus generatio- ni, ejusque malignitatî inducendæ, multum velificentur. Et ex his fontibus petenda utique erit ratio, quare apud nos purpuratus hic morbus potissimum exclusus sit Lipsiæ, quæ situm depresso rem, & ob adiacentium paludum compluvia, aerem minus salubrem obtinet, civesque moliter ac delicate viventes alit: in Anglia vero primum virus sit Londini, ubi eadem vivendi ratio in- valuit, eademque cæli & aeris conditio regnat. Neque dubium est, quin feminæ, eodemque vitæ gene- re alibi etiam fruentes, & in locis non adeo salubribus degentes, fre-quentem & malignam etiam hanc febrem experiantur.

## §. XXIII.

*Gravidae nonnullæ concurrentiæ diætae vitiis.* Observavimus porro, gravidas, quæ alvi sunt adstrictioris & sub- fidentario vitæ genere, neque me- dio gestationis tempore, neque ul- timis mensibus, nimiam vasorum plenitudinem sanguinis detractione minuunt, in puerperio constitutas, graviter semper decumbere, & purpurea hac labe infestari. Quemadmodum enim prægnantes fere omnes, semper exundantem sanguinis copiam alunt, & ob canarium di- stensionem tonique in iis relaxatio- nem, lentius procedente sanguinis & humorum cursu, parcus quoque facta superfluorum & sordium per secretioni & excretioni dicatas officinas secessione, successive succos contrahunt & colligunt impuros: ita certe, si alimentorum minus con- gruorum usus accedit, & elementa, ad vires tuendas & valetudinem su- stentandam necessaria, vitium tha- bent & temerata corpus subeunt, longe major corruptela induci ur & imis penetralibus insinuatæ quæ apertius postmodum sanitatem op- pugnat, & lethales nonnunquam morbos parit.

## §. XXIV.

## §. XXIV.

**Puerpa-** Deinde purpura, in primis miliari  
ræ si lo- solenniter tentantur puerperæ, si  
chia non primis a partu diebus lochiorum flu-  
xus non rite succedit, sed vel pror-  
sus deficit & cohibetur, vel parcius  
manat, vel justo citius desinit, vel  
plane terrore, aut admisso liberius  
frigore, protinus fistitur atque sup-  
primitur. Nam in gravidis, ob san-  
guinis & humorum redundantiam,  
uteri vasculosa valde & cellulosa  
compages mirifice expandit, & fa-  
cta congestione, oppletur, ut san-  
guis tardius & difficilius ibi circum-  
agatur, neque penitus in alimoniam  
fætus absuntus, in vasis uterinis  
stagnet, crassus & fœculentus eva-  
dat, donec tandem excluso partu,  
vasis, quibus utero adhæret placenta,  
lochiorum fluxu crux effundatur  
& evacuetur. Quod si itaque  
vel ex ipsius sanguinis vitio, vel vi-  
goris naturæ defectu, corruptus hic  
crux non sufficenter expurgatur,  
sed inverso motu, in vasa majora  
& nobiliora viscera, cor, pulmones  
& cerebrum transit ac reforbetur;  
neutiquam certe mirum est, si inde  
febris cum magna seri impuritate &  
corruptione, qualis nostra est, sti-  
patæ, oboriantur, aliaque gravissi-  
ma illis complicata pathemata su-  
icitentur.

## §. XXV.

**Genera-** Constantis præterea in praxi mé-  
dicæ obſervationis est, feminas lon-  
gæ gravius & frequentius laborare  
magis quam viros, propter mensium ne-  
gotium. Jure enim uterus potissimum  
hujus mali fons dici meretur, qui  
**DEMOCRITO** teste, *ep. de nat.  
bum. ad Hippocrat.* mille ærumnarum  
mulieri auctor est: illudque rarissime  
feminis accidit, si menstruus  
sanguinis fluxus ad calculum, suffi-  
cienti quantitate expeditur, & per  
legitimum tempus durat; sin vero  
minus, frequentissime eodem affi-  
ciuntur. Hinc attenta etiam expe-

rientia patet, diutius cum eodem  
conflictari, quæ ob provectionem  
ætem, aut alias ob cauſas, men-  
ſum plane non experiuntur proſlu-  
vium. Quinmo, si in junioribus  
tributum hoc lunare male ad calcu-  
lum, aut parcius solvitur, acceden-  
tibus præſentim aliis cauſis, purpura  
plerumque latitat, quæ demum  
sub variorum symptomatum chora-  
gio in conſpectum venit.

## §. XXVI.

Neque ſemel, ſed multoties certe, **Femina-**  
experiencia edocti ſumus, mulieres, **fluore**  
fluore albo obnoxias, hoc parcius **albo la-**  
ſtillante, vel per imprudentes me-  
dicationes compreſſo & cohibito, **boran-**  
purpura fuſſe correptas, eaque cu-  
rata, fluxum ex pudoris ſinu repe-  
tiuiſſe, ſuccedente, ipſo ſublati, rur-  
ſus purpura. Ut adeo vel ex hiſce  
diſtice patescat, exanthematicum  
hunc morbum lymphæ eſſe proge-  
niem, neque mirum ſit, quod no-  
stro ævo, quo hic fluor feminis lon-  
ge familiarior, quam antea eſt,  
purpura quoque frequentius eadē  
attentet.

## §. XXVII.

Et quamvis immodica ſanguinis **Corpora**  
redundantia, in iis, quibus per men-  
ſum, vel hæmorrhoidum fluxum ea-  
dem non diminuitur, neque per con-  
fuetas ſanguinis miſſiones exanta-  
tur, ad generationem, chronicæ præ-  
ſentim purpura, multum conferat:  
attamen enata etiam ex boni ſan-  
guinis penuria copioſi ſeri impuri-  
tas, ad producendam eandem pluri-  
mum omnino valet. Id profecto cre-  
briori obſervatu compertum habe-  
mus, quod ab inconsulta, & immo-  
derata ſanguinis per venam ſectam  
detractione, vel largiſſima ejus cum  
abortu profuſione, interveniente præ-  
ſentim pravi terroris aut iræ affectu,  
extremorum refrigerationes, animi  
delicia, ventriculi cum anxietate  
inflationes, pectoris oppreſſio, & al-  
ternativus trigoſis, & æſtus in corti-  
ce corporis ſenſus, fuerint ſuborta,  
quæ

quæ cōparente tertio vel quarto post die purpureo exanthemeate, item conquevere, & mitigata sunt. Nihil enim tonum, vim & robur solidis partibus æque suffuratur, & adianit, nihil tam promte fluidis, jam tum impuris, virulentam naturam inducit, & ingenerat, quam animi turbæ, in primis diuturnus angor, & longius extracta mœstitia. Quare, si utero gerentes, vel hystericis pathematis afflictæ, aut menstrui fluxus irregulari successu laborantes, enormi afficiuntur tristitia, haud falax purpuræ, in puerperio deterioris futuræ indicium, inde poterit defumi. Imo, benignioris, & mitioris ingenii purpura, in corpore imbecilliori, & animi affectibus crebrius perculso, perquam facile malignitatem induit summamque intentat perniciem. Quid? quod plurimis exemplis confirmatum asserimus, viros sedentariæ vitæ nimium addictos, & literarum studiis intemperantius invigilantes, accedente tantum pertinaciori animi mœstre, purpuram contraxisse & per diuturnum tempus cum eodem esse confictatos.

## §. XXVIII.

Accedit temerata aeris, cuius usu homo continuo eget, nec non irordinata tempestatum constitutio, quæ omnino ad hujus mali generationem multum confert. Nam sicut fluidi istius catholici, aereo ætherei magna vis atque potestas, ad fluidissimi nervorum ac membranarum succi omniumque humorum schesin ac crasis pervertendam, mira etiam ad tonum cutis, & saluberrimam perspirationis excretionem modificantam & alterandam, facultas est: ita, quod ex illius impuritate epidemice grassantes progignantur morbi, & ipsa quoque purpura, plus vel minus maligna exsurgat, non est quod dubitemus. Plures jam elapsi sunt anni, quum Saxoniam inferiorem purpura epidemice pervagaretur, & cum catarrhalis febre juncta, infantes maxime in-

festaret, quæ originem fuerat fortita ex antecedente diuturna nebulosa, & pluviosa temporum conditione, quam frigidior ex orientali & boreali plaga spirans aura exceperat: prout pluribus memoratur in docta BOETI TIGERI de purpura rubra epidemicæ, Helmstadii habita dissertatione. Simili ratione M. N. C. Det. I. An. VI. pag. 145. fidem faciunt, quod in sequente mollem & nimbosam hemem vere, purpura maligna exorta, per totam æstatem populares habuerit circuitus, & infantibus maxime solennis fuerit atque funesta. Aeris quoque minus puri & variis alienis, activæ indolis exhalationibus referenti constitutio in caussa est, quod nonnulla præ aliis loca hunc morbum facilius & generent & pertinacius foveant. Sic plurima animo obversantur exempla eorum, qui, purpura in nostra hac urbe correpti, & in loca alia salubriora profecti, sanitatem recuperarunt; simul ac vero huc redierunt, & aliquandiu hic commorati sunt, in priorem morbum reciderunt. Hinc etiam præcipua ducenda videtur ratio, quare menses Martius & Aprilis, catarrhalibus, evanthematicis & purpuraceis febribus proferendis tantopere faveant; siquidem decurrentibus his, cælum plerumque gravius, asperum & mutabile incumbit, & atmosphæra tetrica, e compluviis a nive discussa elevatis exhalationibus, inquinata est atque oppleta.

## §. XXIX.

Hactenus purpura subiecta & causas perpendimus potissimas, quæ, in chronica præsertim, cum causis scorbutum ingenerantibus admodum convenienti. Peccat enim similiter in scorbuto sanguinis dyscrasia acris, falsa, sulphurea, tantum quod in purpura magis sit exaltata & subtilior reddit: conferunt ad ejus generationem habitus corporis laxior, diuturnæ animi ægritudines, atque naturales se, & excretiones impeditæ; conse-

Purpura  
cur de-  
mum  
ante ali-  
quot la-  
tira pro-  
dierit?

conferunt aeris intemperies vappida, loca humida & decliniora, cibi incongrui, duri, sanguinisque tum defectus tum redundantia, & hujus generis alia. Quæ vero quum ita sint, hic difficulter oritur quæstio, cur purpura, præsentibus omnibus, quæ ad ejus generationem faciunt causis, ante aliquot demum lustra producta sit. In qua quidem re tam perplexa decidenda aperte fateor: communis mali, communem etiam esse caussam. Jam vero in superioribus latius deduximus, in purpura chronicâ peccare maxime impuri falsi, excrementi serî, in miliari lymphæ putridæ, vappidæ, acidæ copiam, & hanc materiam tam acidam, quam acrem sanguinem, in sanguine contentam, motu intestino calido longe pejorem indolem nancisci, ut partes nervosâ gravius lœdat, sollicitet: ac tandem cum gravibus symptomatibus febris expulsiva gignatur. Necessarium igitur est, ut oculos circumferamus, num in diæta, & victu, qui humoribus vitalibus tam materiam, quam temperiem ac intemperiem suppeditat, quidpiam in plurimis Germaniæ locis admissum sit, quod ante quadraginta, & quod excurrit, annos ignotum fuit. Id vero, ut aperite loquamur, est ille fere universalis usus, seu potius abusus potuum calidorum, inque primis exoticis coffee. Adeo enim in patria nostra hujus potus usus invaluit, ut quasi coffee-mania ubivis ferme regnare videatur, quum præsertim feminæ, nobilioris & que ac vilioris sortis, quotidianum illum habeant, & non solum mane, sed etiam post meridiem, domi & foris convenientes, eundem cupide sorbillent, quin urbanum reputent, invisentes hac potionem non ad saturitatem usque expletas dimittere. Et annotamus certe, quod ex eo tempore, quo sorbitio hujus potus adeo in consuetudinem abiit, nec non iis in locis, ubi frequentioris usus est, plus etiam

pурпра regnarit & increverit.

### §. XXX.

Verum enim vero, licet hæc observatione experientiæ suffragio adeo subnixa sit, ut in dubium vocari nequeat; asserti tamen nostri veritatem tantisper labefactare videtur: quod in regionibus Asiaticis, præcalidis, tritissimi & per vulgati usus sit hic potus, purpureo tamen morbo ibi locorum plane silent. Sed speciosa hæc prima fronte objectio facilime dilui poterit, si quis curatius perpendet, longe aliam his in locis esse viætus rationem, quam in nostris oris, eorumque incolas neque cibis crassioribus & durioribus, neque salitis uti, cœlum quoque multo esse tractabilius & calidius & transpirationem copiosius & expeditius succedere, neque, quod maximum est, inquinamentum scorbuticum corporibus infidere, sed ignorantiam prorsus ibi esse hanc lucem. Scorbuticani enim impuram humorum diathesin, inter caussas purpuræ genesis ministrantes connumerandam esse, vel exinde dilucescit, quod iis in locis, ubi scorbutus familiaris est, ut in Anglia, Belgio, Svecia, & nostris quoque regionibus, purpura vigeat, & hinc etiam purpura scorbutica habitualis dicatur. Quinimo notatu perquam dignum est, quod ubi jam grassatur purpura chronicâ & incolas atfligit, dolores illi scorbutici lancinantes artuum, ulceræ cacoethæ, putridæ & sanguinolentæ gingivæ, maculæque latæ & cæruleæ, quæ omnia & singula propria & essentialia scorbuti sunt symptomata, rarius, vel non in tanta frequentia & saevitia amplius obseruentur, ut pluribus infra docebimus.

### §. XXXI.

Quemadmodum itaque hæc, quæ in aliis plagiis & climatibus, nec non sub alio plane vita genere & corporum constitutione, contingunt, confessum est, ad nostrates nullo modo transferri possunt ex- & accommodari queunt: ita certe longe cohíbitur.

longe clarius hæc omnia patebunt, si ipsum generationis modum, ex hoc fonte derivatum, exponemus. Notissimum autem est, quod omnis generis impuritates excrementitiae, ex universa sanguinis & humorum massa, inprimis biliosæ, latices fermentescibiles salivalis naturæ, ex glandulis pancreaticis duodenæ & intestinorum, stillantes, nec non humores mucidi, in intestinis maxime crassis a sanguine secreti, ad intestina prolabantur. Constat porro, quod in anfractuoso hoc canali fœculentiae, ex eduliis variis sæpe generis, incongruis acidis, fermentescibilibus, semi corruptis, e mari defumis, confluant & concurrent, & quod denique hæc omnia commixtæ & collecta, ut purgamenta, per an secessum exturbari, neque rursus humoribus vitalibus, tanquam plane incongrua & infesta commisceri debeat. Quæcunque igitur hanc recrementiarum & valde perniciarium sordium per alvum excretionem impediunt, & ut hæc rursus sanguinis massam subeant, efficiunt; omni procul dubio ad ingentem sanguini impuritatem inducendam faciunt, invehendo ipsi ejusmodi potissimum sordes, quæ ad cutis emunctorium una cum illo propellit quidem, non tamen ut sudoris materia promte difflari possunt, sed ob acrem indolem sensibilem hanc officinam destruunt, ibique obhærescentes, maculas sive pustulas protrudunt. Etenim quotidianeæ observationis est, quod in cachecticis & scorbuticis, si alvus adstringitur, pustulae, gutta rosacea & ulcerosæ cutis defæcationes oboriantur: nec non, quod alvina excretione in ardentibus & acutis febris suppreffa, purpura sequatur; quum contra, qui in harum declinatione criticum alvi fluxum experiuntur, exitiali hoc exanthemate non corripiantur.

## §. XXXII.

*Quomodo  
localidi* Jam vero, si ulterius rationes sub-

ducimus, multiplici pariter constat *potus no-*  
*experientia, omnem calide assumptum ceant,*  
*potum, thee æque ac coffee, in ple-*  
*risque alvum, dum transpirationem*  
*auget & sudorem pellit, supprime-*  
*re: quinimo nimis alvi dejectiones*  
*sudoriferis, cum regimine accommo-*  
*do datis, & petu calido infusi cu-*  
*jusdam, compesci. Hinc, si illi,*  
*qui in prima corporis regione ma-*  
*gnam impuritatum & cruditatum al-*  
*vo eiiciendarum sentinam gerunt,*  
*& frequentius ac largius potibus ca-*  
*lidis herbæ thee & coffee utuntur,*  
*haud mirum est, quod sordes bilio-*  
*sæ salino sulphureæ, calore plus at-*  
*tenuatae, & de novo aquo humore*  
*solutæ, per vasa lactea & lymphati-*  
*ca, quæ passim etiam crassis inte-*  
*stinis implantantur, ad massam hu-*  
*morum vitalium redeant, & pejore*  
*ob moram & commixtionem indole*  
*imbuta, nec non facultate nocendi*  
*aucta, peregrinam & valde perni-*  
*ciosam intemperiem omnibus humorib-*  
*ibus inducant & latius diffundant;*  
*nisi in corpore perspirabili, vestibus*  
*probe tecto & sub aere temperate*  
*calido, per porosum & tubulosum*  
*cutis cribrum statim sufficienti exhalatione*  
*dispellantur & abigantur.*  
*Ex quo certum id elicimus consepta-*  
*rium, quod omnibus, sive sequori-*  
*s, sive nobilioris sexus, quibus*  
*sub potu infusorum calidorum, præ-*  
*sertim coffee, alvus non solvit,*  
*sed obstipatur, cutis etiam ob varias*  
*cauñas sordes non emitit, is non*  
*tantum sit noxius, sed maxime etiam*  
*disponat ad genesin purpuræ, præ-*  
*sertim si jam prava humorum & scor-*  
*batica adsit diathesis, vel etiam af-*  
*fectus animi, in primis diurnus mœ-*  
*ror, & iracundia, quæ sordium bili-*  
*osarum in primis viis accumula-*  
*tioni in primis favet, accedant. Ex*  
*adverso calidus hic potus plane in-*  
*noxius, imo salutaris est iis, quibus*  
*alvum fluidam & mollem reddit,*  
*& qui corpus ad perspirationem ob-*  
*tinent dispositum. Ac in his ad varii*  
*gene-*

generis impuritates collectas, foras eiiciendas, symbolum suum utique confert.

## §. XXXIII.

*Quod  
clarus  
demon-  
stratur.*

Tacemus jam, ipsas fabas coffee, sub alio cœlo & in alio solo prognatas, etiam peregrini quidpiam, & quod naturali temperier ac mixtione blandæ in nostris oris non adeo accommodum est, custodire, & sub adiustione, præsertim si more apud plerosque recepto fortius instituitur, salini-volatile & sulphuris empyreumatici aliquid suscipere, quod nervosarum, partium tono ac motui est inimicum, quo fit, ut in quibusdam tremorem manuum & anxietatem pariat: idque eo magis, quando largiori fabarum nimis ustorum portione aqua non imbuitur, sed prope inspissatur. Prætermittimus etiam, multum sacchari cum hoc potu assumi, quod in intestinis obhaerescens, neque mox per ani secessum ejectum, fermentescit & cruditates mucosas acidas auget. Id potius ex omnibus his collective sumis clarissime elucescere speramus, neutquam esse mirandum, quod sub inconsuetu alias, jam vero communi abusu frequentissime assumti potus coffee, ipsa naturalis & nativa mixtio, & crasis partium sanguinem constitutum multum immutetur, & nova plane ac alia ingignatur, qua cum sanguine in utero materno in infantes transfusa, ipsius purpurati morbi femina & ad illum dispositio, jam latius propagentur, & dispergantur.

## §. XXXIV.

*Causæ, tiz, de luis purpuræ origine, refragari videatur, quod teste WEL-  
te po-  
tum cof-  
fee con-  
siderint.  
ut Lip-  
pur-  
pro-  
dicit.*

Et quamvis allatae a nobis senten-

tiæ, de luis purpuræ origine, refragari videatur, quod teste WEL-

SCHIO *dissert. de purpura Lips.* jam

ante sexaginta annos hic morbus Li-

pstæ innotuerit, quo tempore potus

thee & coffee ignotus adhuc fuit &

purpura inusitatus: eadem tamen neutquam

exinde evertitur, quum asseramus,

potus calidos, inque primi fabarum

coffee, non tam materialiter, quam potius formaliter ad genesis purpurae concurrere, dum videlicet ob crebriorem ex ipsis confecti & calide assumti potus usum, impuritates primarum viarum, alvo adstrictiore redditæ, ipsi sanguini insinuantur. Deinceps, si paullo curatius victum, diætam & regimen, quibus feminis gravidis & puerperis, Lipsiæ degentibus, illo quo purpura exorta est tempore, uti moris fuit: omnia ita comparata fuisse luculenter patet, ut moribus hic optimo jure inde deduci possit. Noto enim notus est quod tamen citra injuriam florentissime & inclutæ hujus urbis incolarum dictum volumus & intellectum, feminas eam inhabitantes, voluptibus admodum obsequi, desidiosana agere vitam, somno longius indulgere, & quotidie fere dulcibus, horæis, farinaceis, cum butyro & saccharo fricis, cibis uti, alvi esse adstrictioris & copiosas sub ingravitatione colligere impuritates, eamque ob caussam fluore etiam albo frequentissime divexari. Pessima præterea consuetudine receptum tumerat, ut puerperas non solum arctius lecto adstringerent, sed etiam conclavebus calidis macerarent, primisque puerperii diebus iuscula & potum nonnisi fervida iis exhiberent, neque tamen alvum, per multos dies adstrictam, clystere, vel laxante solvere, neque etiam lochiis subsistentibus sanguinem evocare auderent. Et certe, si quis hæc omnia probe expendet & conferet cum iis, quæ in superioribus fusius exsequuti sumus, habebit utique caussam, quare in hac urbe ante usum potus coffee, hoc exanthematum genus fuerit exclusum. Id quod experientia etiam postmodum luculenter confirmavit. Postea quam enim documenta dedere documenta, & abrogato æstuoso puerparum regimine, laxantia & venæctiones admittunt, longe minor ibi est hujus exanthematis,

*pro-*

proventus, minus ejus periculum, minorque inter pueras strages. Quamvis igitur potus coffee non inculari possit, quod Lipsiae purpuram genuerit: id tamen nullo poterit negari modo, quod per aliquot annorum decursum, hujus tantum urbis pomceris inclusus fuerit morbus, & introducto potus coffee usū, demum alibi exortus, ita, ut quo magis ille in consuetudinem abiret, & pluribus locis invehetur, eo maijora quoque incrementa hic sumeret, & latissime se diffunderet: quinimo, quod singulare plane, & ante non animadversum est, plerumque acutis sole associaret febribus.

## §. XXXV.

*Exem-  
plum de  
purpura  
scorbu-  
tum ex-  
cipiente  
potusum  
cailee.*

Satis itaque arbitror me demonstrasse, qua ratione calidi potus ad purpuræ genesis, seu scorbuti in purpuram conversionem fecerint. Toti autem negotio singularem accendet lucem, quæ sequitur observatione. Hæc nostra civitas Hala tam ob situm, quem obtinet, declivorem, & aquarum præterlabentium, ex parte stagnantium, effluvia, quam potissimum ob salinas, ingenitem continuo copiam vaporum aequorum emittentes, humida circumdatur atmosphæra; unde e longinquò adspiciens se tota repræsentat nebulosa. Et hinc causa videtur deducenda, cur a remotissimis jam temporibus scorbuticum malum hic tam altas egerit radices, ita ut cives arthritide vaga, quam scorbuticam dicunt, doloribus colicis, tumoribus, & maculis scorbuticis, aliisque scorbuto propriis symptomatibus, quales præcipue varii gingivarum affetus esse solent, frequentissime laboraverint. Dicidi hæc partim adhuc juvenis a beate defuncto D. Parente meo, partim ab aliis medicis, morborum curationi hic loci vacantibus, qui vix ullum præscriperunt medicamentum, quod non unum alterumve ingrediens scorbuto oppositum receperit; imo ego

ipse postea in ægrotos, qui se curæ meæ tradiderunt, saepe incidi, ubi propter scorbuticam humorum diathesin antiscorbuticis pugnare necesse fuit, atque hæc in curando prope omnne absolverunt punctum. Quamprimum vero civium plurimi calidores potus 'n deliciis habere, & præsertim Caffemania laborare coeperunt, sensim paullatimque, scorbuto disparente, purpura tam maligna, quam benigna chronicæ hinc inde apparuit, & inter initia, ubi veram hujus morbi indolem paucissimi intelligebant, ingentem edidit stragem. Neque vero hoc loco solum talia contigisse memini, sed posthæc etiam Ostfrisiae, aliisque regionibus, scorbuto olim infestatis similia ab eadem causa evenisse comperi: ut adeo de scorbuto, purpuræ origine minus dubitandum sit.

## §. XXXVI.

Præterea, hodie ad crebriorem purpuræ loco scorbuti proventum præcipue suum confert symbolum peculiaris vivendi ratio, sive talis ciborum selectus, quo majores nostri vel prorsus non, vel moderatius tantum usi fuerunt. Nostra enim ætate, ubi proh! dolor hominum plurimi desidiae lasciviarum dediti nihil fere aliud cogitant, nihil agunt, nisi ut gviæ blandiantur, quotidie nova ciborum genera artificiose excogitantur. Imo vero, ne ijs quidem sunt contenti, quæ fertilissimum patræ solum suppeditat, sed ad illa maxime stulta cupiditate feruntur, quæ extimæ Indorum oræ, & famosa naufragiis maria ad nos mittunt. Equidem suas cuique delicias libenter largior, neque cibos exoticos reiicere audeo; sed id tantum seu noxiū reprehendo, quod plerique cibi hodie subacidi leniterque pungentis esse debeant saporis, & ideo multo sale, multisque aromatibus, allio, cepis, pipere & fungorum generibus

præparentur. Sic enim parata alimenta, suavem linguæ acrimoniam imprimendo, efficiunt, ut comedentes partim ultra satietatem iisdem se repleant, indeque magnam crudorum humorum copiam, non secus ac scorbutici a crassioribus cibis, colligant, partim majorem sanguinis effervescentiam sibi contrahant, quæ largiori partium salino-sulphurearum generationi admodum patrocinatur, ut dein perfacile, concurrentibus aliis causis, purpura excludatur. Accedit adhuc, quod hodierno ævo frequentior sit vinorum spirituosorum, quam antea, potus, qui adeo invaluit, ut parum supersit, quin apud nonnullos tota sanguinis massa in vinum convertatur.

### §. XXXVII.

<sup>q. & abu-</sup> Atque huic nimiæ in cibo, & po-  
<sup>fo</sup> pilula-tu luxuriæ tribuendum est, quod ho-  
rum alio-  
<sup>ticaram</sup> die varia sanguinis profusiones val-  
de sint familiares, & in primis hæ-  
morrhoidalis fluxus jam pluribus con-  
tingat: quare nonnulli medicorum seducti, omnium morborum chroni-  
corum originem, in feminis a men-  
sibus non rite fluentibus, in viris ab hæmorrhoidibus impeditis, deducendam esse autumant, ideoque,  
si tales morbi ingruunt, ad salutares has excretiones promovendas, & in ordinem redigendas omnem curandi methodum dirigunt, ac præsertim pilulas ad exemplar Beccherianarum concinnatas, quas aloë, licet in refracta dosi ingreditur, frequentius, imo alternis diebus propinant. At vero, ut taceam, hancce hypothesis veritati minus esse consentaneam, ego certe adferere non dubito, quod crebrior harum pilularum usus, qui sub aliis circumstantiis alioque tem-  
pore valde securus est, ad purpura genesin in nonnullis permultum con-  
ferat. Quod si enim ad sanguinis, præsertim per hæmorrhoides, excretionem nulla a natura est propensio; non potest non fieri, ut inde massa

sanguinea valde exagitetur, comoveatur, & aucto intestino motu, major particularum salino-sulphurearum copia extricetur, quæ purpura causam suppeditat materialem. Brevi, jam omnia adiunt momenta; quæ contentas in sanguine partes sa- linas, & sulphureas accumulant, acriores reddunt, & altius in cutis fi- brillas adiungunt: unde non mirum, quod salinus ille morbus scorbutus, mutata indole sua, in alienum plane morbum, qualis purpura est, de- generaverit.

### §. XXXVIII.

Prognostica utriusque purpurae jam Progno-  
supra, ubi integra morbi historia si purpura  
suppeditata fuit, intermiximus, <sup>iae chro-</sup>  
placet tamen speciatim de purpura <sup>nicea.</sup>  
chronica pauci subiungere. Hæc au-  
tem, quia febre non stipatur, nisi  
plane præposta medicatione cor-  
rumpatur, periculum non intentat:  
molestissimum tamen malum est, re-  
nitens, difficilis sanationis, & quod  
mire torquere, & fatigare solet, &  
medicos, & ægrios. Si enim minera  
purpura fixam in partibus solidis  
imisque penetrabilibus collocavit se-  
dem, non facile corpus deserit, sed  
intus remanens, nec ad habitum cor-  
poris propulsâ, graves ingignit affli-  
ctiones. Si vero nimis impetuose ex-  
pellitur, sæva rursus imminent ma-  
la. Id autem maxime accidit, qui  
imbecillum genus nervosum obti-  
nent, & in spasticas stricturnas, qui-  
bus sanguinis, & humorum æquabili-  
lis cursus impeditur, proni sunt;  
quo fit, ut sanguis impurus abundans, modo ad caput, modo ad  
pectus, modo in articulos, impe-  
tuose, nec minus periculose conge-  
ratur, & sævorum pathematum sce-  
na adornetur. Quod si enim ad  
caput impetus vergit, cephalalgiae,  
aurium tinnitus, memorie debili-  
tas, aphonia, imo quandoque fu-  
rores, insaniæ, insultus apoplecti-  
ci, & lethargus ab intus retenta  
ma-

materia purpuracea aboriuntur. Si ad pulmonum, & sensibiles dia-phragmatis membranas fertur, asth-mata sequuntur spasmatica, nec non punctorii, & lacinantes in pectore dolores. Si ventriculi mem-branis incumbit, summæ anxietates præcordiorum, & cardialgiæ exsur-gunt. Si intestina occupat, tormi-na, & inflationes hypochondriorum cum molestissimo ardoris sensu afflidunt. Si ad artus diffunditur, sæ-vis iudicem tractionibus, & lancingationibus corripiuntur. Et si denique maligna materia tendinea, & nervea ossis coxendicis ligamenta ob-sidet, malum excluditur ischiadicum. Hæc autem omnia, sævissima licet symptomata, vehementiam suam po-nunt, & infestare cessant, simulac materia acris caustica ad habitum corporis propulsâ iterum fuerit, & ablegata.

## METHODUS MEDENDI.

## S. I.

Præser-vatio re-quirit. QUOD ad præservationem atti-net, nihil certe utilius, & præ-stabilius in purpura, tam chronicâ, quam acuta miliarî, ad declinan-dum ejus recursum nobis innotuit, quam primo ex fonte diætetico ab-stinentia ab omni cerevisiarum ge-nere, quippe quæ, plane non ac-commodæ sunt huic morbo. Nul-la enim ex illarum censu est, quæ, si vetus, acorem non contrahat, & nimis spirituosa fiat, vel si recens, feculenta non sit, & fermentati-va, vel etiam, quæ non crassiores, & mucidas nutritivas partes vehat: omnia tamen hæc, & singula, mi-nus apta sunt, quin officiant, ob-tinendæ sanguinis, & lymphæ de-purationi, in qua omnis, & præ-servationis, & curationis cardo ver-titur. Hinc calidis, & æstivis tem-poribus, temperatarum acidularum, ut Selteranarum, & Wildungen-

sium, cum pauxillo vini remixta-rum, usum suasimus. Brumali ve-ro tempore, nec non iis, quibus aquas ejusmodi medicatas compa-rare non fuit integrum, imperavimus, ut vel puram aquam fontana-m biberent, vel decocta confice-rent, ex radice scorzonerae, sarsa-parillæ, & cichorii, rasura cornu cervi, & hordeo mundo, addito pauxillo semenis foeniculi, sumendo ad aquæ mensuram dimidiâm spe-cierum unciam, iisdemque potus ordinarii vice uenterunt, ac si fors ferret, interdum vinum adderent. Nonnullis tamen etiam propter con-suetudinem cerevisiam tenuem, & bene defœcatam concessimus.

## §. II.

Deinde, in purpura chronicâ in-junxit motum corporis per insti-tuta itinera, & mutationem aeris, ex locis depressioribus in excelsiora commeando, animi oblectationem, & tranquillitatem, abactis curis, & omisis profundis cogitationibus ac meditationibus. Postero ferio inter-diximus omnia ea, quæ alvum ad-stringunt, quæ transpirationem suff-flaminant, & nimium sanguinis in-gerant, reprobato simul largo car-nium, in primis suillæ, esu, & pro-hibitis cibis largiter aromatisatis, & piperatis, nostris. Denique, ut <sup>3) curam</sup> æstivis mensibus cura ex mero lacte <sup>cum laite</sup> asinino, vel sero lactis bubuli, & minerali-caprilli institueretur jussimus, aut bus, per mensem, vel sex hebdomades, Selteranæ, cum tripla parte lactis bubuli, vel caprilli remixaæ, in pe-regrino loco, interposito ex dulci, vel nostri Lauchstadiensis fontis aqua, balneo, potarentur, idque si altius radices malum egisset, per triennium repeteretur. Viris etiam quibusdam habitioribus usum Sedicensis aquæ præcepimus, ex cuius non adeo libe-rali dosi septem vel octo diebus ver-nali, & autumnali tempore admisso

potu , minera morbi per alvum ex-  
turbata est . Multis quoque chronicæ,  
scorbutica , & habituali purpu-  
ra detentis , ut aquam Lauchstadien-  
sem biberent mandavimus , qua , ut  
supra meminimus , fortes affatim  
evacuate sunt , continuato tamdiu  
ejus potu , donec alumæ dejectiones  
cessarent .

## §. III.

<sup>4) q̄d in</sup> Quum vero purpura chronicæ ,  
<sup>erdinem</sup> redigua feminæ subinde contumacius la-  
<sup>xum</sup> uat fla-  
<sup>mensem</sup> borant , in virtu uteri , & inordinata  
to mensum successu fundamentum  
habeat repositum , ut ille in ordinem  
rediret , præcipua etiam nostra fuit  
intentio . Suasimus hunc in finem ,  
præterea , quæ jam dicta sunt , pul-  
veres rhabarbarinos , & elixir no-  
strum viscerale quotidie unacum pe-  
diluviis , aliquot ante eruptionem  
dies adhibentis . Si vero spasticæ ,  
ut plerunque fieri solet , suberant  
stricturæ , & inflatione ventriculi ,  
anxietatibus præcordiorum , doloribus  
dorsi & cœli prodebat , antispasmodicis usi sumus , quibus annu-  
meramus pulverem Marchionis cum  
tantillo nitri , & cinnabaris , & gra-  
no uno , vel altero castorei , & ex-  
tracti croci remixtum , nec non li-  
quorem anodynū mineralēm , ef-  
fentia croci , castorei , & liquoribz be-  
zoardico nuptum , adornato simul ex  
aqua dulci , & lacte balneo . Ad  
ipsum denique mensum fluxum eli-  
ciendum , propinavimus essentiam  
succini minus spirituosam , cum li-  
quore alcalino extractam , & sic etiam  
hoc sustulimus vitium . Porro , ad  
præservationem purpurae chronicæ ,  
in viris plethoricis , & fluxu hæmor-  
rhoidal non affectis , scarificatio-  
nes , & venarum incisiones , ad im-  
minuendam nimiam sanguinis , &  
humorum copiam multum faciunt ,  
nec non iterata alvi apertio , quæ  
commodissime procurari poterit man-  
na soluta , utpote quæ omnibus ex

falsa acrimonia morbis obortis dica-  
ta est , addito simul stimulo salino ,  
cujus generis est terra foliata tarta-  
ria . Novimus etiam , quod sèpissi-  
me nocturnos sudores , quibus in pur-  
puram proclives mirifice torqueban-  
tur , feliciter discusserimus crebriori  
alvi solutione , clementiorum laxantia-  
rum , ut passularum , rhabarbari ,  
terræ foliatæ tartari , aut tremoris  
tartari ope provocata . Sed hæc de  
præservatione .

## §. IV.

Ipsam purpurae chronicæ curam Curativa  
facili , & explicita ratione sic adorna-  
vimus . Præcepimus primo omnium ,  
ut mox ab initio morbi , ægri in  
non nimis æstuoso lecto , & con-  
clavi , sed moderatissimo calore de-  
tinerentur , & quantum fieri posset , diapho-  
re lecto se subducerent : & hac ra-  
tione molestissimos sudores averti  
posse deprehendimus . Deinde , præ-  
ter memoratum ad potum ordina-  
rium decoctum , nihil ex medicamen-  
torum classe magis ex usu fuisse te-  
stamur , quam pulverem diaphoretici-  
um nervinum , ex cornu cervi usito ,  
it . sine igne parato , lapidibus , sive  
chelis cancerorum , matre perlarum ,  
succino , nitro purificato , & cinnabari  
confectum . Præstabilem etiam  
fuisse animadvertisimus liquoris ano-  
dyni mineralis virtutem , ita ut duo-  
bus his remedis , vel simul congrua-  
dos , vel quolibet illorum seorsim ,  
pro variarum circumstantiarum di-  
spositione , assumptis , rejectis omni-  
bus aliis medicaminibus , quantumvis  
dilaudatis , felicissime purpuram  
tam chronicam , quam etiam acu-  
tam superaverimus , ægris fortunante  
Deo brevi sanitati redditis .

## §. V.

Quænam  
in flava  
gravida  
tatis ad  
& therapiam illius purpurae , ple-  
rumque pejoris notæ , quæ puerperis , proficit  
vel

Vel sub initium , vel medium puer-  
perii tempus , accidere solet . Hujus  
causas , & originem superius jam  
eruimus , & ex incongruo gravida-  
rum regime , nec non admissis in  
dieta erroribus derivavimus ; ideo-  
que ad hæc avertenda , & removen-  
da curam dirigendam esse facile pa-  
tet . Quod si igitur puereras a pe-  
riculo hoc symptomate immunes  
præstare velimus , ne sub gravidita-  
te humorum copia , multo minus im-  
puritas , ex stagnatione illorum cir-  
ca uterum oriunda increscat , neque  
generi nervoso imbecillitas induca-  
tur , primaria utique erit intentio ;  
quæ nulla alia perfici poterit ratio-  
ne , quam ut , si sanguine copioso re  
corpus turget , is detrahatur , insti-  
tuta frequenti , ter vel quater , non  
adeo larga tamen , in superioribus  
venæ sectione . Deinceps abstinen-  
dum est ab otio , diurniori so-  
mno , animi turbis , & edulii dulci-  
bus , fermentabilibus , farinaceis ,  
quin potius cibis boni succi , & po-  
tu salubri , nec nimis parco , uten-  
dum , corpus motu moderate exer-  
cendum , & alvina excretionis suc-  
cessus , magis tamen alimentis , quam  
medicamentis , promovendus , exhib-  
endo etiam passulas rhabarbarinas ,  
cum , vel sine manna paratas , quip-  
pe quæ , gravidis apprime conve-  
niunt , & ex usu sunt . Et cum imi-  
ventris refrigeratio utero gerentibus  
insigniter noceat , & ad graves ægri-  
tudines ingenerandas sit aptissima ,  
semper iis auctor fui , ut inferiora  
arctius , adversus aeris frigidioris ac-  
cessum integumenta muniant , eam-  
que ob catram bracca optimo cum  
succesu gestandas fuasi . Ad præscin-  
dendas quoque nocivas humorum  
circa uterum stases , magnopere ex-  
pedit , ut abdomen nonnunquam ,  
præsertim post medium gestationis  
tempus , prope fornacem calidam ,  
embryonum balsamo , vel vino Rhe-  
nano , aut Hungarico vetustiori , &  
generosiori calefacto , instillatis ali-

quot balsami nostri vitalis guttis ,  
inungatur , & perfricitur . Et hac  
summa cura tenendæ sunt feminæ ge-  
stationis tempore .

## §. VI.

Jam etiam dispiciemus : quænam Quænam  
ante & post partum , & primis sta- ante , &  
tim puerperii diebus studiose servan- post par-  
da sint , ne in graves ægritudines ,  
& purpuram , sive diuturnam , sive  
acutam , incident puerperæ . Quum  
itaque multum ad hunc affectum  
producendum , & feminas debilitan-  
das imprudens parturientium traæta-  
tio faciat , dum ante legitimum tem-  
pus summis conatibus , & laboribus ,  
plane intempestive foetus expulsio  
urgetur , propinatis etiam hunc in  
finem spirituosis & calidioribus me-  
dicaminibus : exquisitum ut in omni-  
bus teneatur moderamen serio mo-  
nemus , ne vires nimium frangan-  
tur , neque per extremos istos labo-  
res , calidaque sugesta analectica ,  
tota humorum , & sanguinis massa  
mirifice commoveatur , exagitetur ,  
& simul fecculenti illi , & impuri ,  
qui circa uterum stabulantur humo-  
res , in validiorem motum abripian-  
tur , sed potius lochiorum fluxus , &  
aliæ excretiones legitime expediantur ,  
ne magna ad morbos fiat di-  
spositio .

## §. VII.

Excluso autem foetu , & pacatis Puer-  
post exantatos partus labores iterum  
secundo post die omnibus , necessa-  
rium ac utile est , ut collectus in-  
gravitationis tempore impurus , quo  
uterus adhuc turget , sanguis , eva-  
cuetur , & humores vitales a con-  
tracta cacochymia liberentur . Qua-  
re omnis generis excretiones , maxi-  
me vero alvina , & quæ per cutis  
colatorium succedit , sedato nisu ,  
non impetuose , sed successive pro-  
movendæ sunt : id quod accommode ,  
& perutiliter his poterit obtine-  
ri , & perfici subsidiis . Evitetur sum-  
mo studio nimius lecti & hypocau-  
sti calor , & potus quoque nec cali-  
fior ,

dior, nec nimis perfrigeratus, sed tepidus præbeatur. Abigantur omnes animi turbæ, & absit maxime terror ac tristitia. Alternis diebus deglutiantur quater pilulæ balsamicæ & roborantes, qua virtute sunt Betherianæ, Stahlianæ, & nostræ: quippe quæ, non solum multas impuritates alvo eiiciunt, sed etiam lochiorum fluxum promovent, & diaphoresin elicunt. Quod si vero initium nondum omnia sunt complacata, sed citatior pulsus cum interiorum æstu animadvertisit, amicum harum pilularum institui potest connubium cum pulvere præcipitante absorbente, qui pro dosi grana quatuor vel quinque nitri habet. Tum maximopere conduit, ut cum jusculis tenuioribus, non nimis substantificis, ea assūmantur, quæ spasmus leniunt, sanguinem grumosum coagulatum resolvunt, & simul etiam liberiorem sordium cum perspiratione difflationem procurant: quo nomine laudem merentur, sperma certi, oleum amygdalarum dulcium, infusum florum fimbuci, chamomilæ, summittatum millefolii theiforme, essentia corticum aurantiorum temperator, juncta croci essentia, liquor noster anodynus mineralis, nec non pulveres bezoardici, dia-phoretici, cum aqua analectica propinandi. Inprimis etiam mixtura ex aquis analecticis & diapnoicis, cum acetō destillato, & lapidibus canceris, nec non syrupo acetositatis cictri confecta juvat, quæ in stagnante, & congrumato sanguine resolvendo eximiū usus est.

## §. VIII.

*Et si purpura imminent.* Hisce exacte observatis, non facile gravis, & funestus morbus puerperas aggreditur, neque etiam metuendus erit purpurae insultus. Quod si autem his neglectui datis tantopere increvit feri & lymphæ corrupcio, ut purpuracea febris, sive rubra, sive alba, immineat, aut jam urgeat, hac saepe sèpius probata,

& experta utimur methodo. Inuncto æquali, placido ac temperatissimo ratione caloris regimine, puerperis purpura jam decumbentibus summopere commendamus decoctiona avenaceum, cum, vel sine infuso florum chamomillæ vulgaris, cuius efficaciam longe præstantissimam deprehendimus. Alvum in maligna, & alba non facile stimulantibus sollicitamus, neque etiam clystere admonemus. Mutationem quoque integumentorum & indusiorum, quantum fieri potest, interdicimus, & siuademus potius, ut jam trita ad fornacem calidam probe siccata, & fumigata iniiciantur, & induantur. Multo magis dissuademus cretiorem situm, vel ut e lecto surgant ægræ; eo quod facile incident in animi deliquium, & motu humorum ad interiora converso, exanthemata disperant, pessimaque ingruunt symptomata: id quod latius ex observatione mea expositum est in *dissert. de situ creto in morbis periculosis valde noxio.*

## §. IX.

Ex medicamentorum classe, pulveres bezoardicos, temperatos, quibus nonnunquam croci vel castorei momentum adiucimus, repetitis vicibus ad scrupulum, vel drachmam dimidiā exhibemus, eorumque usum subinde liquoris anodynī mineralis dosi interpolamus, cuius nobilissima est facultas spasmos complacandi, motum intestinum calidum sedandi, & acrimoniam humorum demulendi. Si vero ob varias causas antecedentes purpurae retrocessio metuenda, vel hæc jam fuerit facta, admiscemus liquori anodino, quartam partem liquoris bezoardici ad mentem Bussii parati, & in *observat. nostris physico chymicis. Lib. II. observ. 28. pag. 238.* descripti: quæ mixtura egregie diaphoresin movet, & materiam peccantem ad exteriora agit. Ad reficiendas demum vires, enormiter plerumque prostratas, in pur-

Si iam  
erupit.

purpura alba majorem in modum commendamus potionem analepticam, ex aqua melissae, corticum citri, florum liliorum convallium, primulæ veris, acaciæ, liliorum alborum, & cinamomi cydoniata, addita sufficienti quantitate matris perlarum, & man. Christ. perl. nec non instillatis aliquot spiritus nitri dulcis guttis: quo cum eadem, tanquam accommodo vehiculo, pulveres exhibeantur, vel ipsa scorbutum ad cochlear aliquoties sumatur.

## S. X.

Quid faciemus si lochia subiungunt? Quum vero scepissime contingat, ut lochia in febre lactea vel purpurea substantant, & sanguinis raptu ad caput facto, lethalia oboriantur symptomata, in quaestione cadit: an, si lochia plane non, vel non sufficienter fluunt, si febris est, si purpura imminet, venæsectio tuto, & utiliter admitti possit? Verum enim vero, quia hoc argumentum, jam in *diss. de venæsectionis prudenti administrat.* pag. 18. seqq. fuisus excussi, & momentosis rationibus docui, quod venæsectio non solum in febris exanthematicis, sed comparentibus etiam jam efflorescentiis nonnunquam summopere proficua sit, allata ibi huc non transcribeamus. Id tamen sancte affirmare possumus, quod solius venæsectionis, pro circumstantiarum ratione largioris, vel in pede, vel manu, institutæ ope, proximas jam morti puerperas, & spasticis stricturis, quibus sanguis impetuose ad cor, & cerebrum urgebatur, detentas, ab orci faucibus revocaverimus, & presentaneam opem attulerimus. Atque adeo haud immerito, si suppressis lochiis laborantes puerperæ decadunt, mortis causam in venæsectionis neglectum reiciendam esse putamus. Neque desunt ex clarissimorum auctotorum numero, qui nostræ sententia calculum adiiciunt, e quibus nominasse sufficiat **WILLISIUM de febb. cap. XVI. WEL-**

SCHIUM de purpura Lips. ROL.  
FINCKIUM libr. de ord. & methodo  
consult. libr. IV. sect. II. cap. 6.

## CAUTELÆ PRATICÆ.

## §. I.

**I**n utraque purpura, sive benigna, sive maligna, nihil tam perniciosum, & ad mali causam augendam, symptomatum, & morbi vehementiam exacerbandam, & ex benigno morbo malignum reddendum, tam aptum & expeditum est, quam excessus in frigore, & calore: si quidem si ulla alius, certe hic morbus, nec refrigerationem, nec nimum astum perfert, sed in utroque exquisitum moderamen exposcit; ut hinc conclave, ubi æger decumbit, & aer in eo, æquali semper temperamento sint instruenda, & custodienda. Quod si enim paullo frigidiuscula aura ad habitum cutis liberius accedit, vel tantum manus, antea sub lecto in temperato calore, & udere detentæ, exporrigitur, illico inhorrescentia, & perfrierum universum tangit corpus, & pustulæ, sub sequente magna anxietate magnoque languore, evanescent: id quod eo facilius eoque majori cum pernicie contingit, quo magis cubiculum ante nimis astutum, vel corpus stragulorum apparatu arctius tectum, & tantum non obrutum fuit. Similiter in omnibus, maxime vero purpuraceis his exanthematicis, nihil, præsertim in ipsis morbi vigore, damnosius est, quam inæqualis, & crebrius immutatus calor, in hypocausto gradus: eo quod subitanea calidi in frigidum, & frigidæ in calidum mutatione, nerveo-sensibilem cutis substantiam gravissime afficit, ejusque tonum, robur, & motum mirifice variat, & perturbat, ut pustulæ neque in conspectum prodire, neque, si demum sparsim compa-

ruerint, firmam servare queant stationem.

## §. II.

<sup>animus</sup> <sup>calidum</sup> Porro fontico admodum damno <sup>regimen</sup> purpura laborantes mactat, immodicus cubiculi, & hypocausti calor, nec non suscitatus per potum fervidius assumtum, aut medicamenta calidiora, æstu: quandoquidem exagitatis sic, lugii præsentim ardore, omnibus, vires non solum franguntur, & porosa cutis substantia nimis adaperta, & hiante, humili major, quam par erat, diffatatur atque exhalat copia, sed ipsa etiam morbida materia, per inductum intestinum calidum motum, intensiorem subtilitatem, penetrantiam, & acrimoniam suscipit, ut pruritus, ardor atque anxietas insigniter invalecant, tantum abest, ut complacentur, & imminuantur. Hinc compluries animadvertisimus, manifesto damno, & anepiti pathematum augmento affectos esse ægros, si insulsum herbæ thee, aut aliud ad ejus similitudinem paratum, calidius, & quidem larga in copia sorbillarunt, vel etiam cibum, & potum fervidum ingesserunt.

## §. III.

<sup>medicina</sup> Multo vero minus interne calecamenta facientia, vinum, liquores spirituocalefatos, pharmaca sudorifera, & expelcentia lenta, essentias, & tinturas bezoardicas, alexipharmacas hic morpha &c. hic morbus ferre potest, sed potius ex illorum usū semper augetur magisque acceditur. Vidimus certe, mitioris alias ingenii purpuram chronicam, febris & vehementiæ symptomatum prorsus expertem, admissò exterius nimio æstu, & antiscorbuticorum, nec non decoctorum sic dictorum purificantium, injuncto simul ad sudorem eliciendum arctiori regimine, usu, in malignam fuisse conversam, adeo ut febrilis postmodum calor, cum ciborum fastidio, virium languore somnique deficitu, ægruni periculose affigeret.

Et in genere id quoque pro comperto est, purpuram, quo citius, & impetuosis, per medicamenta, & calidum regimen expellitur, eo facilius & levissima de causa evanescere, & interiora repetere.

## §. IV.

Præterea, in purpuræ hoc cutis <sup>4) liberi</sup> virtio, omnes per ani secessum ratiōes, factæ liberaliores evacuationes, admodum sunt nocivæ. Tam exquisitus enim hujus morbi est genius, ut <sup>præfæcti</sup> <sup>vi eva-</sup> <sup>cnatio-</sup> alvum, nec nimis duram, & constrictam, nec nimis fluxilem, multo minus arte elicitas purgationes, admittat. Hinc, si alvus diutius officii oblitiscitur, cohibita ad habitatum corporis vergunt purgamenta, biliosæ, mucosæ, & fermentescibilis scoria, quæ per hepā, pancreas, & glandulosas intestinorum tunicas separari alvoque debebant eiici, ad cutis colatorium converuntur, vel in longo illo, & anfractuoso intestinorum canali collectæ, & invicem commixtæ, mora magis corrumpuntur, & postea ad sanguinem cum succis chylosis, & alimentosis advectæ, liberale morbi, & materiæ morbificæ pabulum ac nutrimentum præbent. Quare, nisi alvina cum aliis excretionibus revocentur, & in ordinem redigantur, ipse morbus rarius perfecte sanescit, sed aut crebrius recrudescit, aut diutius extrahitur.

## §. V.

Contra vero, summo etiam ca- <sup>Quæ ide-</sup> vendum est studio, ne acriori sti- <sup>provide</sup> mullo excretionum successus prorite- <sup>moderan-</sup> tur, & urgeatur, eamque ob cau- <sup>dæ & re-</sup> sam cuiuscunque generis, mitissima <sup>vocanda</sup> etiam emetica, omnia purgantia, & laxantia, licet virulentia prorsus destituta, salina quoque, sunt vi- tanda. Neque etiam semper tutum est clystere alvum admonere, vel suppositorium admoveare, præsentim ante eruptionem exanthematum, & paullo post eandem. Etenim exstimulatis hoc modo interioribus, omnis flui-

fluidorum, qui ad corporis peripheriam tendit motus, illico invertitur, perspiratio sufflaminatur, cutis pori coarctantur, & efflorescentiae evanescunt: interiora vero languore opprimuntur, ventriculus nauseae corrigitur, ejus subversio oritur, intestina torminibus, & ardore torquentur, & praecordia angore strinquentur, & excruciantur. Ut adeo pateat, summa cum cautione, & provida circumspectione, ad alvi apertione hoc in morbo esse descendendum.

## 5. VI.

Intem-  
pestiva  
sanguinis  
missio. Multum denique ad periculosum purpuræ retrocessum facit intempestiva, & inconsulta sanguinis missio. Nam plurimum certe refert, si cuti in omni exanthematum genere, ita maxime etiam hoc, sanguinem in convenienti quantitate, proportione, & ad superficiem corporis accessu, ita moderari, ne ipse vel nimium exundet, vel deficiat. Utrumque periculum alit. Si quantitate excedit, ob spasticas partium stricturas, congectiones in loca nobiliora summopere perniciales sunt metuendæ. Si vero defectu peccat, ad excellissima cutis vascula, & sudoris secretioni dicata organa appulsis urgeli nequit, & vitiosa materia per capillare hoc cribrum minus recte secerni, & transmitti potest, sed summo cum discrimine in interioribus corporis penetralibus immota obharescit. Quare vix majus hoc in morbo metuendum est periculum, quam si ab imperito medico inconsiderato sanguis exautlatur. Vidimus nosmet ipsi, tam infeliciter aliquoties cessisse quorundam ausum, qui in purpura chronica, qua hypochondriaci, spasticis pathematis obnoxii, laborabant, venæfctionem in pede largius instituendam suaferant, ut exanthematibus subito disparentibus, apoplecticus irrueret insultus. Novimus quoque, admissa illa, sevissimas subsequatas esse artuum tra-

ctiones, & convulsivos partium motus, & parum absuisse, quin ægri letho afficerentur.

## §. VII.

Inter auxilia chirurgica miliaris febri opponenda referuntur adhuc a quibusdam vesicatoria, si acida corrupta lympha peccat, quo eadem his medianibus extrahatur, & fibræ de-

Vesica-  
toriorum  
ulus in  
utraqne  
purpura.

mediantibus extrahatur, & fibræ dellatae nerveæ simul excitentur, & ad contractionem sollicitentur. In primis HAMILTON de febre mi-

liari, eadem scapulis iterato apposita mirifice dilaudat, ita pag. 450.

Sydenhami rationes subducens: *ad serositatem minundam optime respondent vesicatoria. Materia enim moribifica ex aliqua parte eorum ope diminuta, natura reliquam, via sibi consuta, facilis amandare potest: tantum abest, ut pustularum eruptiōnem impediāt.* At vero, licet id remedii genus non adeo incongruum esse videatur, ingenue tamen fatemur, nos nunquam eo esse usos, sed enumeratis præsidīis, & auxiliis, purpuram adspīrante Deo expugnasse, ideoque aliis, ut periculum faciant linquimus.

## ENARRATIONES MORBORUM:

## O B S E R V A T I O I

Purpura  
chronica  
post ni-  
miani  
hæmor-  
rhoidum  
fluxum  
tandem  
lethalis. Vir illustris, quinquagenarius, temperamenti sanguinei, a longo hinc inde tempore animi pariter ac corporis constante vigore gavisus est. Ætate autem sensim ad senium vergente, quem prætermisso, quod alias confueverat, motus exercitio, cibis alimentosis multumque aromatisatis, ut & largiori vini generosioris haustu magnam sanguinis abundantiam accumularat, neque hanc per venam sectam imminuerat; ipsa benigna natura, per hæmorrhoidum fluxum salutariter excitatum, a tanta machinæ obfutura mole se liberae annisa fuit, eventu adeo secundo, ut a multis postea annis ab incom-

incommodis satis immunis degerit : donec aliquando post longius iter sub frigido hiemali celo institutum, cæcas, quas appellant, hæmorrhoides acceperit, quæ ante discussionem multas crearunt molestias. Circa æquinoctium vernale ejusdem anni, hæmorrhoidalis non modo effusio, & per tres fere menses durans redit fluxus, sed & varia se adlociarunt incommoda ; siquidem vir illustris appetitus imminutione, acri & falsa oculorum defluxione afficiebatur, constrictivum in pectore, & abdome tensum, nec non pressorium in osse sacro dolorem cum stimulo ad matulam percipiebat, qui lumbarem quoque regionem, & pedem affligebat. Ego tum temporis in consilium accitus primo venain in brachio secandam suasi, dein curam cum fonte Spadano vel Selterano sub exacto diætæ regimine instituendam commendavi ; postea vero crebriorem corporis exercitationem, abstinentiam a vino Hungarico, & liquoris mei anodynæ cum pulvere præcipitante ex aqua usum injunxi. Et optime quoque celsit curatio. Sed annus effluit, quum Februario mense, in febre incideret noster, catarrhalis primus æmulam. Appetitus aderat prostratio, sitis, & æstus intensior, vomitus quoque, & alta suspiria, præcordiorum anxietates, cum respiratione difficiili, cardialgiæ, & compunctionis sensus, alternante frigoris, & caloris sensu, pulsusque diurius, & celerius micante. Hæc intuens ego mox purpuram augurabar ; & enī successit cutis asperitas, prodeuntibus innumeris pustulis rubris, milii semen figura referentibus : unde bezoardicum pulverem circa somni tempus, vomitui vero obviam eundi gratia liquorem anodynæ minerali cum balsamo vitæ maritatum, & pro potu serum lactis dulce propinabam. Sic sedebantur quidem molestæ afflictionum turmæ, & purpura decidebat, sed tanta in cute ad purpuraceum hoc exanthema remanebat dispositio, ut continuo fere sub corporis quadam incalescentia maculae efflorescerent, & æger per totum æstatim, & hiemis insequitæ decursum purpura cum insigni pruritu juncta laboraret ; prælertim quim plus justo appetitui ciborum incongruorum indulgeret, unique plus justam quantitatem adsumeret. Circa verum tempus, redeunte vomitu, anxietate, aliisque gravioribus symptomatibus, purpura copiosior in locis quoque inconsuetis comparebat, & hæmorrhoidales venæ denuo sat largam sanguinis fundebant copiam. Crura hinc circa talos intumecebant, & maculae disparebant, cruentam, qualis in scabie ferina sicca consipicitur, relinquentes. Ventriculus pittuitosam quandoque materiam, quam fauces quoque stillabant, eiiciebat, somnus aderat multis sed parum reficiens, pulsus mane frequens, & validus, vesperi debilis micabat, urina crassa rubicundo-bruni coloris mittebatur, imo omnia in summa erant perturbatione. Ut auxilium ferremus ægro, potus loco mox cerevisia Duschsteinensis, quam appetebat, cum gelatina cornu cervi permixta, mox gallinarum jucunda cum radicibus cocta, quandoque etiam sarsaparillæ decoctum, usurpata fuere ; ex medicamentis vero essentia stomachica liquori ancdyno nupta, post meridiem pulvis absorbens cum pulvere cascariæ permixtus, & vesperi bezoardicus pulvis offerebantur. His, & analpticis interpositis nihil proficientibus excrements fecido secedebant odore, virium postratio augebatur, & febris tandem inflammatoria corporis summe emaciatum ita affligebat, ut ægrotans illustris morbi vehementiæ viætrices dare manus debuerit. Peracta post mortem sectione, panculus adiposus, una cum renibus, intestinis tenuibus & vesica urinaria, inflammatione correpta comparabant, lien putredine exesus, ita ut tactu

tactu in liquamēn fatisceret; ventriculus flatibus distentus; vasa gastrica sanguine crasso infarcta; diaphragmatis sinistrum latus corruptum conspiciebantur. Pulmones inflammatio-ne obſeffi, colorem ex atro cœrumeum induerant. Pericardium liquore carebat, cor flacidum multo atro sanguine turgebat. Glandulas meſenterit ſcirtinus infestarat. Hepatis gibbosa pars maculam inflammati-riam ostendebat, cuius veſicula fel-lea bile erat repleta.

## E P I C R I S I S.

Sistit hic caſus purpuram scorbuticam, eamque chronicam, & exitu lethalem, cuius generandi modum, decurſum atque eventum paucis jam ad ductum historiæ morbi perpendere juvabit. Vir Illustris tum ob diætam lautiorem, tum ob consuetam corporis exercitationem omissam in corpore nimiam ſanguinis coacerva-vit copiam; quæ per convenientem venæflectionem non diminuta ægrius per canales potuit circumagi: unde poſtea, ſalutaribus ſe & excretionibus, quæ in ſenili aetate per ſe lan-guent, cohibitis, tota ſanguinis, & humorum maſſa a partibus excremen-tiis minus rite depurata labem con-traxit scorbuticam. Jam inſigne at-tulifet emolumentum multaque ma-la præcidifet bonus hæmorrhoidalis fluxionis ſuccellus, niſi ipſe Dn. ægrotus frigore imprudentius corpo-ri admisso eundem ſuppreſſifet, quo ſanguis verſus interiora magis coa-cetus in vasa meſentericis ſe accumu-lavit, &, denegato per hæmorrhoides exitu, eodemque vieti genere perſiſtente, ibidem stagnavit; donec tandem calore vernali expaſtus vafa-cum impetu disruptus, & efferatus per tres prope menses promanavit. Nos itaque, ſedata hac enor-miori hæmorrhagia, primo omnium eo re-speximus, ut fortaffe obſtructi viſe-rum tubuli referarentur, quod debi-

to fontis Selterani, vel Spadani uſi præſtandum allaboravimus. At vero, quum æger appetitiui denuo plus juſto inhaerens novæ ſanguinis accumulationi, ejusque in imi ventris viſeribus stagnationi anſani præbuerit, factum eſt, ut impuris ſordibus ſalino ſulphureis non ſegregatis, ipsa purpuracea materia ingeneraretur, quæ nervosis primum membranis in-sidens ſpasmodum excitavit febrilem, cuius ope ipsa purpura ad habitum corporis protrusa, omniaque quietio-ra ſunt reddita. Redeunte poſtea hæmorrhoidum fluxu effuſioni, vires jam ante debilitatæ omnino magis ſunt depreſſæ: unde vi cordis & ar-teriarum ſyſtaltica imminuta, non modo materia morbiſica ad corporis corticem non amplius potuit propelli, ſed & ſanguis tenax, & acris in minimis & capillaribus illis, lienis, & pulmonum vasculis ſtasim inflam-matoriam, omniaque huic communi-a ſymptomata excitavit; ut adeo non mirum eſſe debeat, cur poſt mortem variæ partes inflammatione sphaceloque obſeffe comparuerint.

## O B S E R V A T I O II.

**F**Emina quadraginta annorum, *Purpura* nunquam puerpera, habitus cor-poris valde replete, pinguis, & ſpon-giosi, alvo ſtrictiori vitæque ſedentariæ adſiuera, admodum tempeſtive ple-no, & inordinato yictui, conſiſten-tiori cerevisiæ nimioque *Caffee* potui indulſit: parum tamen moleſtiæ inde percipiens; uſque dum terrorc ali- quando perculta mensis primo per diuidium fere anni plane amilis, poſtea vero parciores experta fuit. Ab hoc enim tempore ſepe inſignem corporis gravitatem tuſſiculofam pe-ctoris concuſſionem cum cutis qua-dam prurigine ſenſit. Hæc invicem mala ad vernum uſque tempus du-rabant, ubi præmiſa venæflectione in pede motibus corripiebatur febri-libus, catarrhales, tum temporis gra-

grassantes æmulantibus. Remedia ordinabantur huic statui accommodata, potus tenuis, & clystere quoque alvus clausa referabatur. Sed en! improviso sine prægressis gravioribus symptomatibus in pectoris ambitu maculæ emergebant purporeæ, quæ sub pulveris leniter bezoardie, cum extracti castorei pauxillo remixti usi, in dorso quoque, & brachiis copiose efflorescebant. Mitigabantur tum omnia symptomata, & sensim maculæ hinc & inde evanescere videbantur, quarum tamen novæ mox recedebant. Tam pertinaciter, itaque inhærente hoc exanthemate, a quo tamen præter pruritum pectoris que oppressiones, refrigerationem maxime sub sequentes nihil patiebantur, ego curam siasi tenuem, & exsiccantem hac ratione instituendam: ut præmissa venæflectione, alvinaque regione per potionem mannatam, bis repetitam repurgata, per unum alterumve mensem ægra a nutritente victu se abstiens pane bis cocto, & carne magis assata in refracta quantitate vesceretur, potui decoctum rad. salsaparill. chinæ & cort. ligni sassafras in largiori copia substitueret, & ad robur ventriculi conservandum temperatum medicamentum stomachicum adhiberet; finita autem hac cura, scarificatione admissa, serum lactis dulce tam mane, quam a meridie biberet. Paruit ægra consilio, & mirum erat, quantum corporis mole decreverat, quantumque levaminis reportaverat, ita ut per autumni, & hiemis decursum a purpura ejusque molestii parum affligetur, præsentim quum salubres diæta regulas exactius observaret. Ad propinquate vere commendabam fontem Egranum per decem dies, & postea Selteranum tam sine, quam cum lacte remixtum per tres hebdomades bibendum, hisque finitis balneum Lauchstadiense externe adhibendum: unde mensum fluxus ante parcius justam fervavit quantita-

tem, & ægra a malis suis liberata jam exoptata fruatur valetudine.

## EPICRISIS.

Femina, cujus morbum exposuimus, ob vitam otiosam, pingue mque diætam statum sibi contraxit plethoricum, sub quo, vel levioribus causis, ut teorre accendentibus, salutaris mensum fluxus, ob nimiam vasorum repletionem fluidaque propellendi impotentiam facile cohibetur: quo cohibito non potest non sanguis, & lymphæ impuritate imbui, & nimio potus Caffee usi aliquique constipatione concurrenre, purporeæ preventus ingenerari; sicut hoc supra satis ostendimus.

2) Annotandum est, quod homines spongiosa carne multaque pinguedine prædicti, qui multum serosi sanguinis alunt, præ ceteris ad exanthematicum hunc affectum sint proclives, ideo quod serum, per excretionem cutaneam non satis depuratum facile vappescit acrimoniā induit. His vero subjectis nihil convenientius est, ad purpuram in prima, ut ajunt, herba suffocandam, quam accommodata cura per inediām, qua superficia pinguedo, quæ remoram sanguinis circulo depuratorio posuit, subtrahitur, & nimis relaxatus cutis tonus, qui in purpura tantum non lreditur, roboratur, ut hic dein longe minus sordium per transpirationem eliminandarum retentioni, & accumulationi faveat.

3) Aquas salubres commendavimus, ut reliqua etiam se, & excretionis organa sive restituantur integrati, maximeque ille sequiori sexu saluberrimus mensum fluxus in ordinem redigatur: quo fine etiam balneum Lauchstadiense subiungendum fas simus, quod tum in vasis utei flaccidis roborandis, sanguinisque fluxu promovendo, tum in cutis tonos simul restituendo, eximiam præstat utilitatem.

OB-

## O B S E R V A T I O III.

*Purpura  
chronica  
idem &  
hydropl  
sympt  
matica.* **V**ix aliquot supra quadraginta annos natus, sanguinis, & succi hydropli plenus, jam olim vigesimo ætatis anno a vita sedentaria multisque ad faram noctem protractis lucubrationibus malum passus est hypochondriacum, cum aliqua ad hæmorrhoidalem fluxum dispositione, qui succedente tempore tæpius quidem apparuit, certas tamen statasque periodos nunquam servavit. Trigesimo quinto ætatis anno in febrem incidit tertianam, qua brevi curata purpura corripiebatur scorbutica: unde fonte usus eit Pyrmontano, idque inde obtinuit, ut purpura mitigaretur, penitus vero non evanesceret. Quum quadragenario proximus admovereatur officio, quod non modo vitam postulabat sedentariam, sed crebriores quoque annum commovendi occasiones præbebat, prætesso quondam iracundæ affectu, doloribus corripiebatur colicis cum vomendi conatu, pectorisque angustia junctis, quibus compositis iæterus prodibat, pedes intumescebant, & maculae purpureæ, plus quam antea unquam, emergebant hæmorrhoidibus nunc profluis silentibus. Remittente colore flavo, pedum tumor nihilominus una cum purpura persistebat: quare denuo aquæ Pyrmontanæ adhibebantur, sed sine levamine, ut potius purpura eadem permanente, tumor pedum altius adscendens simul scrotum, & inguina occuparet. Ego consultus rem in ancipiti positam ratus, sequentia proposui. Primum, abrogato cerevisiæ potu decoctum aperitivum substitendum jussi hujus compositionis: Recipe rad. V. aperientium ana unciam, sarsaparill. glyzyrrh. cichorei ana unciam dimidiad C. D. S. species, quarum uncia una, & dimidia in tribus aquæ menfuris decoquenda, addito in fine pauxiilo cinamomi. Dein, quovis ter-

tio die pilularum balsamicarum XIV<sup>o</sup> propinandas, & bis in die scrupulos duos pulveris, ex solut. ocul. cancror. arcani duplicat. nitri purif. tartari vitriolar. ana drachmis duabus, rad. ari, falsis absynthii, cinnab. ana drachma compositi capiendos commendavi. Ut ventriculo prospiceretur, præscripti elixir balsamicum temperatum ad 8o. guttas in prandio sumendum, ex extracti centaur. mineral. rubr. card. bened. rhabarb. terræ foliatae tartari ana drachma, in aquæ menthæ vinciis quatuor leni calore solutis. In diæta suæ juscule carnium tenviora cum rad. petroselini, selleri, taraxici, gramin. & cichorei decocta crebiusque adsumenda. Externe vero ad dolorem pressorium, qui in hepatis regione percipiebatur, mitigandum cataplasma, ex comis absynthii, flor. chamomill. roman. & vulgar. sambuci in vino, & aqua cal. is vivæ coctis imponere, idemque seroto applicare. Mitigabant quidem hæc omnia symptomatum vehementiam, & aliquando inter ipsorum usum motus incidebant febries, cum nova purpura protrusione, sed natura jam nimis imbecillis tandem succubuit.

## E P I C R I S I S.

Ferax est hic casus utilissimarum observationum, quarum prima est, quod purpura primum post febrem effluerit, cuius phænomeni ratio ita mihi reddenda videtur: sine dubio febris intempestive curata labem quandam in abdominis visceribus, sanguinis depurationi servientibus, maxime vero in liene, & hepate reliquit; unde his forte infarcitis sanguis a partibus sulphureis non rite depuratus purpura materiam turpeavit. Imo ab eadem causa, seu a circulo sanguinis per hæc viscera impedito derivandus est tumor pedum insignis, qui tantum non omnibus, visceris cujusdam sanguinci obstruktione

Ctione laborantibus solet esse familiaris. Icterus in nostro ægroto suam sumfit originem tum ab infarctu hepatis, quem dolor in hac regione pressorius inter alia edocebat, tum a spasmodica ductuum biliariorum sub ira strictria. Intercepto enim bilis ad intestina cursu, hæc ad sanguinem refusa largiorem materiae purpureæ copiam ingeneravit, quæ causa fuit, ut post icterum rubræ miliares pustulæ copiosius in cute effluerent; luculento indicio, sulphureæ indolis materiam in purpura pecare, ideoque hanc ipsam variis a bilis vito oriundis morbis symptomatice jungi. In curatione rite adornanda omnem medicamentorum energiam eo direximus, ut tenaci viscida amurca obsefisi viscerum tubuli recluderentur, & sanguinis cum acri bile mixti intemperies immutetur; quibus peractis purpura, ceu symptoma, sponte evanuisse. Quoniam tamen vis morbi tantum jam invaluerat, ut virtutem omnium, vel efficacissimorum remediiorum superaret, factum est proh! dolor, ut morbo tandem superatus æger succuberit.

## O B S E R V A T I O IV.

Purpura  
ob inor-  
dinariam  
diaram  
chronicam

**H**onesta hujus loci femina, tenebrosa ac macilenta, quinquaginta, & aliquot annos nata, naturæ sensibilioris animique ad excandescientiam proclivis, per octo circiter annos semel vel bis in anno purpura corripi suevit chronicæ, ita ut nonnunquam per unius, vel duorum mensium spatum eadem laboraverit. Enimvero, quoties novus imminebat insultus, per intervalla alia atque alia jungebantur symptomata, ut fere sunt virium imbecillitas, capitis dolor cum aurum tinnitu, anxietas præcordiorum cum spirandi difficultate, somnus paucus ac interruptus, pulsuum cum celeritate juncta debilitas, alternans cum frigore

aestus, & insignis extremorum pruritus. Quamprimum vero materia purpuracea cum aspredine cutis, & papulis ab interioribus ad exteriora erat propulsa, invicem ista placabantur symptomata, quandoque tamen, licet mitius, repetebant. Liberata fuit nostra a singulis hactenus paroxysmis, beneficio temporis simul concurrente, datis lenioribus bezoardicis, & analecticis, quorum illa ex pulvere Marchionis, cornu cervi usq; philosoph. præparato, antimonio diaphoretico, nitro, cinabari, & pauxillo camphoræ, in pulverem redactis constabant; hæc autem ex aquis melissæ, cerasor. nigr. florum tiliæ, sambuci, lilior. convallium, flor. rosarum, cinamomi fine vino, matre periar. & syrupo acerositatis citri, in potionem mixtis conficiebantur. Potus loco commendabatur ptisana ex hordeo mundo, rasura cornu cervi, rad. scorzoner. & cichorei confecta, blandisque lecti calor ferio injungebatur, ne forte aere frigido ad corpus admisso curationis negotium turbaretur. Præservandi fine venæsecctionem bis vel ter in anno admisit, mediocri tantum sanguinis portione evacuata, fontem quoque Selterianum cum tertia parte laetis caprini mixtum non sine successu bibit; nihilominus tamen integre ab hoc morbo nondum convaluit, sed sæpius recidivam patitur, præsertim quum iracundia cum animi angore juncta, obres domètticas ad vota non succedentes, crebro afficitur.

## E P I C R I S I S.

Dici vix potest, quam difficulter seminum purpuraceum, diutius paulo altiusque fuccis vitalibus insinuatum, penitus eradicitur; utope valde multiplicativæ est indolis, si tantum minimæ ejus reliquæ in corpore remaneant: maxime vero id ipsum in

in numero pluribus ægrotantibus, præsertim mulieribus, post sanguinis excretiones cessantes contingere observavi. Causam difficultioris sanationis potissimum inordinatis animi affectibus, & perverso vitæ generi tribuo, quod post morbum curatum plerumque eligunt. Quandocunque tamen ægroti hoc morbo affecti locum, & aerem quandoque mutant, & regimini se accuratori submittentes semel vel bis in anno aquis Selteranis vel Egranicis, lacti nuptis utuntur, terque minimum venæfectionem, &, si paulo habitioris sunt corporis, scarificationem admittunt, euidem scio plures a chronicō hoc affectu prorsus liberatos.

## O B S E R V A T I O V .

Purpura chronicā in familiā sene. **M**A TRONA hujus urbis honesta, sextum supra septuagesimum attigit annum, & per aliquot annorum decursum crebro affecta fuit purpura, ut dicunt chronicā, cum confuetis symptomatibus juncta; a qua tamen intra duos vel tres menses ex voto semper convalescuit. At vero, quum septuagesimo sexto ætatis anno prope exacto, denuo eodem corripertur morbo, nonnisi de insigni virium prostratione somnique defecitu conquesta pejus quam antea unquam decubuit. Purpura enim mox apparebat, mox retrocedebat, donec ægra subito animi deliquio correpta animam placide efflabat.

## E P I C R I S I S .

Non mirum est, purpuram illam esse graviorem longeque difficultioris sanationis, quæ annis obsitos senes, quam quæ homines in ætatis flore constitutos, firmiorique naturæ robore adhuc donatos invadit. Ipia enim senectus, ob excretiones per transpirationem, & alvum languidores, non modo scorbutico-faliham, & viscidam succorum vitalium

diathesin ingenerat, sed etiam propter vires sensim paullatimque decrescentes sanguinis depurationi, materiaque morbificæ ad habitum corporis propulsioni amplius non sufficit. Quare intellectu est facillimum, cur præsens demum ægrotata, senectute invalescente, purpura obicerit.

## O B S E R V A T I O VI .

**N**OVI medicum, celebris nominis, temperamenti cholericī, qui per plures annos purpura laboravit chronicā, cum magno pruriū, & nocte præsertim auctiori, conjuncta, ita tamen ut suo, quo fungebatur, officio commode præesse potuerit. Vitæ genus, quod adhibebat, tale erat: a multis retro annis inter cibos insigni piperis, & zingiberis leviter contusi copia utebatur, & in cœna quotidie tere acetarium, ex lactua, sale & aceto conflatum, comedebat; præter hæc vero exætiori quoad cibum, & potum diætæ studens, bis vel ter in anno sanguinem ex vena pedis tusa mittendum curabat. Inter hæc nihilominus ad insignem pervenerat ætatem; sed sex supra septuaginta annos emensus subito apoplexia cum paralysi corruptus, post novem dierum intervalum, prostratis omnino viribus, animam exspiravit.

## E P I C R I S I S .

Vir erat corporis robusti, macilenter ac nervosi; alias, si laxioris fuisset habitus imbecilliorisque naturæ, profecto a vietu acido pariter atque a calidis, & acribus aromatis graviorem sanitatis labem sibi contraxisset. Evidem plures, imo ex medicis nonnulli in ea versantur opinione, aromata illa acriora, ut piper, & zingiber, quia oleo, si destillantur, subtilicarent, sanguinem minus calefacere, sed crudorum hu-

humorum concoctionem adjuvando, digestioni insigniter succurrere. Verum enim vero, licet id sano sensu possit concedi, minime tamen est insidiandum, quod acriores horum aromatum partes, cum chylo ad sanguinem delatae, insignem humoribus acrimoniam inducere possint. Quod quidem eo ipso satis superque potest demonstrari, quoniam, ut saepius expertus sum, a cibis ejusmodi aromatisatis, inque primis piperatis, si qui fonticulos gerunt, nunquam fere non molestam in eo loco sensationem cum pruritu percipient, quae acrimoniam cum sanguine communicatam satis, ut arbitror, testantur faciunt,

## OBSERVATIO VII.

*Purpura post usum Carolinae* **V**ir generosus, quadraginta, & aliquot annorum, habitu corruptum ortu poris spongioso succique pleno, & temperamento sanguineo praeditus, a prima juventute laita diætae nutritus saepè ad ebrietatem usque pocula hausti vinoſa; unde tempeſtive arthritide laborare coepit vaga: ad quam præcavendam aliquando ex medici consilio thermis utebatur Carolinis, quæ quidem interno uſu nihil procreabant incommodi, sed bis adhibito balneo eveniebat, ut universum corpus maculis, pustulisque obſideretur purpureis, quæ intolerabilem, omnemque fere somnum eripientem excitabant priuritum, appetentia prope penitus deſtructa. Omittebatur igitur omnis tam in quam externus Carolinarum uſus; at quin paulo post vir generosus circa vesperram se auræ exponeret frigidiori, per integros tres dies gravioribus ventris tormentibus vexabatur, quibus per anodyna sedatis, inopinato in notabilem abdominis pedumque tumorem incidebat, qui per exactam viettus rationem, medicamenta dia-phoretica, leniterque roborantia sensim paullatimque abigebatur, licet

prohiberi non poterat, quin postea crebrius purpura laboraverit chronicæ.

## EPICRISIS.

Docemur ex hac morbi historia, & progressu, quanta prudentia, quantaque circumspectione subjecta impuris succis scatentia fontibus calidis, praefertim per balneum uti debeant. Longe hinc tutius satiusque fuisset, si vir generosus, loco thermarum, temperatiores potasset acidulas, quæ melius per alvum & urinam, quam fortiora calda per cutim impuras falino sulphureas fordes educunt.

2) Discere inde licet, quantum noxæ afferat frigidior aura, improvide cuti admissa, maxime tali in catu, ubi natura materiam corpori infestam cum impetu ad superficiem corporis ntitur propellere. Facta enim ad interiores, easque nobilissimas partes metastasi, non modo miserrimi intestinorum cruciatus, sed saepè lethalia oriuntur symptoma, ut tragica exempla plurima ostendunt.

3) Notabile hoc loco est, quod spasmus abdominalis, & intestinorum per anodyna sedatos fecuta fuerit insignis harum partium atonia, quæ inflationem peperit: unde facilimum est intellectu, qua ratione subito inducta per medicamenta mutationes magnis pathematibus causam præbere possint.

## OBSERVATIO VIII.

*Purpura chronicæ accedens te alba lethalis* **V**ir quadraginta, & quinque annorum sanguineus, natura sensibiliiori habituque corporis spongioso donatus, lauto, & quieto vivendi generi adsuetus, saepè non solum fluxum expertus est hæmorrhoidalem, & coecis, ut ajunt, hæmorrhoidibus fuit vexatus, verum etiam per octo fere annos purpura laboravit chronicæ

Chronica rubente , cum insigni cutis pruritu , circa vernum maxime tempus infestante . Sensim paullatimque decrescente hac purpura , ultra biennium perferendæ erant dolorificæ artuum tensiones , quæ mox in brachiis , mox in pedibus ipsaque dorsi regione gravissime sœvientes , plerumque tumorem in brachiis , & circa pedum malleolos , cum insigni nonnunquam rubore , & dolore junctum relinquebant . Et talis morbi erat facies utque ad pristinum mensem , ubi ægro necessarium suscipiens dum erat iter ; sub quo quum nimio se frigori exposuerat , domum inde revertus ab omni statim dolore , & tumore liberatus in febrem incidebat acutam , cum colliquativo coque fœtissimo sudore , quem mox purpura sequebatur alba cum pusulis elevatioribus , a collo usque ad pedes protensis . Vires erant dejectæ ad nonum usque diem , ubi omnia videbantur mitiora . Sed quum æger eleto surgeret , purpura mox retrocedente summa oriebantur anxietates , deliria , summa virium prostratio cum spirandi difficultate , convulsivi motus , & ipsa denique mors .

## EPICRISIS:

Admodum varius est hujus morbi decursus magnisque ægritudinum , se invicem excipientium quasi cumulus , quæ omnes ad summam machinæ perniciem , mortem tendebant . Primo adfuit hæmorrhoidum fluxus , isque inordinatus , & cum molesta venarum hæmorrhoidalium intumescens alternans , sub quo plerumque difficilior solet esse sanguinis per abdominis viscera , maximeque per hepatis , & lienis substantiam circuitus : unde paullatim labascente salutari se & excretionis negotio facile humorum impuritas , & inde apud nonnullos ipsa purpura proginitur , quæ , sicut in præsente ægroto , diu potest inhærere , nec facile periculum

minatur , nisi perversis curationibus aliisque erroribus turbetur . Deinde prodierunt arthritici dolores , qui vix aliam habent causam , quam quod materia purpuracea ad cutem parcius propulsa sensibilem articulorum membranas obsederit , vellicaverit , & ad spalmos sollicitaverit . Tum quoque tumor , & rubor in brachiis pedibusque apparuit : quod quidem non mirum esse debet , quoniam observationum fide satis constat , quod in partibus spafmo infestatis , post illum compositum plerumque atonia relinquitur , quæ sanguinis , & humorum accumulationi , stagnationi , adeoque etiam tumori ansam præbet . Tum quoque æger ex frigoris danno in febrem incidit , cum maxima sudoris profusione stipatam , quæ virium robur mitum in modum exhaustus , ut postea sub circulo sanguinis languidiori lymphæ facile corruptione , & vappescientia potuerit inquinari ; unde purpurae albæ origo . Tandem notabilis est subitanea morbi in pessimum statum mutatio ; quæ , me judice , egressui e lecto tribuenda est . Dici enim vix potest , quantum in morbis sic dictis lymphaticis , ubi virium ingens adest prostratio , nocere soleat erectus corporis , & capitis tam in lectu , quam extra ipsum situs ; sicut in dissertatione nostra hac de re olim habita pluribus exemplis ostendimus , & confirmavimus . Tali enim ratione ob debilem cordis pulsum minor sanguinis copia ad caput propellitur , & facile hypothyria incidit , sub qua omnes motus ad interiora convertuntur , ipsaque materia per cutim excernenda retrahitur ; unde deliria , convulsiones , sphacelationes , & mors .

Qui plures desiderant observationes , adeant consultationes nostras medicas , ubi Tom. II. casu CXCI. CXCII. & seq. multa notatu digna exempla recensentur .

## C A P U T . IV.

## De lue venerea.

## THESES PATHOLOGICÆ.

## §. I.

**D**e oris- **L**uem sic dictam venereum, in  
**n**e **l**uis **v**enereæ **I**ndia occidentali endemiam, eo  
**v**enereæ **d**emum tempore in Europam esse ad-  
**j**udicium, **a**vectam, & per singulas ejus regio-  
**n**es disseminatam, quum Christopho-  
rus **C**OLUMBUS Insulam anno  
1492. detexit, communis auctorum,  
qui de pestifero hoc morbo scripse-  
runt, ut **R**oderici **D**IACHI **H**ispa-  
**l**ensis lib. de morbo venereo. **N**M**ONARDES lib. de simpl. med. ex  
novo orbe allatis est opinio. Licit  
vero certa experientie fide satiscon-  
stet, perniciosem hanc luem primo  
in Hispania, tum in Italia, & Gal-  
lia, postea vero in ipsa Germania  
per contagium, a coitu cum temi-  
nis impuris suscepimus, fuisse propa-  
gatam; sunt tamen nonnulli aucto-  
res, atque inter hos præcipue **M**I-  
**N**ADOUS lib. de virulentia ve-  
nerea cap. XXIV. **N**icolaus de **B**LE-  
**G**NY chirurgus Parisiensis in lib. 1<sup>o</sup>  
art de guerir la maladie venerienne,  
& Job. **B**aptista **S**YNIBALDUS de  
geneantropia lib. IX. tratt. 2. qui ex-  
istimant, morbum hunc citra ullum  
contagii virus in altero sexu posse  
oriri, si femina cum pluribus viris  
rem haberet, semperque esse grassa-  
tam apud scortatores infames. Tum  
enim ex diversi seminis stagnatione  
& corruptione virulenti nascerentur  
humores, qui primum feminam, de-  
inde viros, denuo concubentes in-  
quinarent contaminarentque. Et  
quamvis hanc sententiam vero valde  
similem penitus non reiiciendam  
existimemus, sed potius, ex hac cau-  
sa morbum lui Americanæ similem,  
generari posse concedamus; negari  
tamen minime poterit, quin allata**

ex America contagio majoribus sti-  
pata sit symptomatibus, longeque  
vehementius, & malignius, quam  
malum ex vaga scortatione ortum  
fæviat, ita ut non per coitum fo-  
lum, verum etiam per contactum,  
e. g. manuum sudore madidarum,  
per oscula, & in lactantibus per af-  
frictum mamillæ, & papillæ, imo  
per pocula quoque, & vestes, cum  
aliis possit communicari, multo-  
que plures interdum annos, ante  
quam labem suam exserat, in cor-  
pore latere.

## §. II.

Est autem hæc lues dyscrasia hu- **D**efini-  
morum omnium, maximeque sero-  
fo-lymphaticorum, maligna & pu-  
tredinosa, a miasmate venereo, per  
contagium intus suscepto oborta.  
His vero signis, & symptomatibus  
prodit ac progreditur hic morbus. **H**istoria  
Qui ex impuro veneri usu eundem  
sibi contraxerunt, contagii vim ma-  
xime, & primum experiuntur in pu-  
dendis, ubi inflammations, tumo-  
res, dolores, & ardores, exulcerationes,  
humorumque profluvia oriuntur.  
Postea vis veneni se diffundens  
primo vicinis, & contiguis parti-  
bus, dein quoque remotioribus la-  
bem inurit. Quamprimum enim pes-  
sima ista, & multiplicativæ indolis  
inquinamenta in succos vitales, lym-  
pham, & sanguinem transferuntur,  
omnes tum fluidæ tum solidæ cor-  
poris partes, ob corruptionem indu-  
ctam, pessundantur. Ita languor &  
lassitudine totum corpus occupat, vi-  
res notabiliter decrescent, humano  
orbata aspectu facies maculis, &  
pustulis, modo latioribus, modo mi-  
noribus, in fronte præsertim detec-  
datur, variisque generis tubercula sic-  
ca, & humida, furfuracea seu squa-  
mosa, colore tamen, & magnitudine,  
secundum locorum differentiam  
diversa, in toto corporis ambitu hinc  
& inde erumpunt; partes omnes  
nu-

nutrimento destitutæ emarcescunt; in partibus, ex carne, & pinguedine conflatis laxioribus ulcera generantur maligna, ad ossa usque serpentia; in articulis insignes sentiuntur cruciatus, arthriticos æmulantes; in mediis artubus circa periostia, & in ipso ossium meditullio dolores grallantur osteocopi vix tolerandi, noctuque invalescentes; imo sæpiissime tophi, & gummata, abscessus, & caries in ossibus proventiunt, horumque substantiam, & lamellarum compagem ita pessundant, ut soluto partium nexus plane erosa dilabantur. Præter hæc, pili quoque subinde defluunt, collique, inguinum & axillarum glandulæ, ob lymphæ, seminio morbo contaminaçæ stagnationem, tumores contrahunt, qui vel in scirrum, vel in ulceræ, si negligantur, degenerant. Quid? quod ex his denuo sexenta alia prodeunt mala, ut luem hanc non morbum, sed morborum illadæm pronuntiari fas sit.

### §. III.

*specia-  
tim in  
capite.* In nulla vero corporis parte virulenti hujus fermenti effectus magis sunt conspicui, quam in ipso capite. Nam præter immanes, qui ibidem noctu maxime sæviunt dolores, genæ, supercilia pilis nudantur, pulsulæ, & tubercula labiis, ori, palato innascuntur, quæ in ulceræ coœthea abeunt; gingivæ aphthis & ulceribus obsitæ dentes vacillantes, & cariosos efficiunt, planeque ex alveolis suis dimittunt, uvula, tonsillæ, totumque fauciū peristroma ardent, dolent, inflammantur, & ulceræ exeduntur, ossa narium spongiosa, carie infecta absumuntur, & vomere, a quo sufftentantur, privata corrunt, fornice nasi depresso: unde simul putridus ex ore spiritus exhalat, & magna vocis ac loquela deprivatio cum insanabili raucedine observatur. Neque aures, & oculi a

tali labi manent immunes, sed hi exterioris dolore, rubore, pruritu, & lipitudine tentantur, interius vero, humoribus obfuscatis, splendore & visus acumine privantur, imo nonnunquam suppurantur. Aures molesto afficiuntur tinnitus, & exquisito doloris sensu, & quoad internam sui substantiam exulerantur, tetraque carie exeduntur. Imo sæpentimero cranii ossa arroduntur tophisque, & gummatis deformantur, cujus rei testem citamus RHODIUM cent. I. obs. 33. qui in rustico, lue venerea laborante in dura matie tria candida annotavit gummata.

### §. IV.

Et hæc sunt præcipua pestiferæ humanæ symptomata, quæ, quantum cundum totam corporis humani machinam subiecta omniumque ejus partium functiones & morbi in utroque sexu possint lædere, immuñiere, & penitus tandem aboleare, facile quisquam ex dictis colliget. Nolumus autem prolixiores esse in notis morbo essentialibus secundum singulas ejus periodos, & diversos gradus considerandis, quia otium nobis fecit celeberrimus SYDENHAMIUS; qui in eleganti sua de lue vener. epistola accuratam morbi nascentis, adulti, & senescentis tradidit historiam, optimeque ibidem docuit, qua ratione hoc teterrium mali genus inter initia prodeat, & postea altius corpori insinuatum latiusque diffusum diffitas etiam partes afficiat, labefactet, pervertat. Hoc tamen non possum, quin paucis, ad meliorem rei intelligentiam, commemoarem, non omnia hactenus allata signa similiter in omnibus hac lue laborantibus deprehendi, sed quædam in his, alia in aliis annotari; neque ideo temere ex quibusdam tantum, sed ex pluribus simul sumtis de morbi præsentia esse judicandum. Nemo enim facile pudendorum tumores, exulcerationes aliasque labes,

inter initia apparentes statim pro ipsa lue, quam potius pro luis principio venditabit; siquidem, si recte tractata tempestive curantur, luem nunquam ingenerant.

## §. V.

**Luis ven-** Equidem his signis facile luem  
**ner dif-** venereum dignosci posse confido;  
**ferentia** nihilominus tamen de morbis, qui  
ascorbu- buscum aliquam habere convenientiam videtur, paucia addere juvabit.  
Inter hos præcipuum obtinet locum  
scorbutus, qui perinde ac venerea  
lues languorem torporemque corporis,  
dolores vagos, & fixos, no-  
etū auctiores, nervorum contractio-  
nes, pustulas, tumores duros, va-  
riisque tam oris, quam ipsius penis,  
ut **EUGALENUS lib. de scorbuto**  
testis est, exulcerationes comites ha-  
bet; ut nihil ideo mirandum sit,  
cur **CHARLETON lib. I. de scor- buto cap. IV.** tantam inter scorbuti-  
cum, & venereum malum analogiam intercedere prodiderit, ut com-  
munia quædam utrique morbo sint  
symptomata, a medico etiam peri-  
tissimo, in locis maxime septentrionalibus, & maritimis, Dania, Sve-  
cia, Batavia, difficulter distinguen-  
da. Quodsi igitur duo hi morbi in  
uno loco simul grassantur, attenta  
opus est diligentia, ut ad rectum  
judicium revocentur omnia: sunt  
enim certi omnino characteres, qui-  
bus arte periti pustulas, serpigines,  
& ulceræ venerea, cancri naturani  
æmulantia, ab impuritatibus scorbu-  
ticis possunt discernere, qui tamen  
facilius discuntur, quam docentur.  
Interim **EUGALENUS** hanc tra-  
dit differentiam, quod in venereis  
cauterio apertis materia pinguis,  
lardo infumato in scorbuticis vero  
non ita reperiatur. Accedit, quod  
maculæ scorbuticæ raro efflorescant,  
nisi prius gingivis exulceratis ti-  
biisque livore nigrescentibus, quæ

similiter in lue nostra aliter se ha-  
bent. Præterea, ulcera scorbutica  
tota plerumque livent, cum vene-  
rea contra in ambitu rubra sint,  
colorem ex albo cinereum in ima-  
cavitate referentes. Quod vero spe-  
ciatim ad exulcerationes oris scorbu-  
ticas attinet, hæc primum gingivas,  
tum fauces, & tonsillas, lento ta-  
men progressu, afficiunt; venereæ  
autem primum fauces ejusque par-  
tes, & demum gingivas occupare  
solent.

## §. VI.

Pariter quoque providendum est, .. & alia  
ne herpetem, impetiginem aliaque morbis.  
cutis ulcuscula statim ad luis oc-  
cultæ virus referamus, sed probe  
prius, an cetera consentiant signa,  
disquiramus. In eo autem maxime  
hæc cutis vitia a venereis diffe-  
rent, quod semel facta eruptione cor-  
poris inquietudo, & lassitudo desi-  
nant, quod tantam dolorum atro-  
ciam minime junctam habeant, nec  
demum noctu, si auctiorem a lecti  
calore pruritum excipias, adeo inva-  
lescant. Eadem cautio adhibenda est  
circa topbos, nodos, & ganglia,  
quæ certe non a solo veneno vene-  
reo, sed quam maxime etiam a qua-  
cunque violenta nervosarum partium  
tensione ac velliatione, uti post ve-  
ros arthriticos dolores interdum vi-  
demus, proveniunt: nisi itaque alia  
signa adsint, quæ pondus, & fi-  
duciam addant, nunquam temere  
de venerea lue suspicandum est.  
Neque tandem sine adhibito discri-  
mine omnes glandularum tumores  
pro venereis æstimari debent, quia  
illi multoties sine ulla clam laten-  
tis venerei fermenti suspicione in  
variis corporis partibus visuntur; si-  
cuit ex solis strumis animadvertere  
licet. Omnium tamen maxime me-  
dicus, ne in judicando hallucine-  
tur, in quibusunque morbis, lue  
nostræ analogis respicere debet ad

vitam ægrotantis anteactam, quæ si luxuriosa fuit, & in lascivi feminarum blandientium turba transacta, sœpe non contemnendum virulentia latentis præbet testimonium, maxime ubi reliqua contentiant. Neque minus ægri, præsente jam suspicione, curiose sunt explorandi, annon suscepiti contagii modum norint, & ut suas tantum suspiciones medico detegant amice hortandi; licet plerique vel pudore, vel timore perterriti originem morbi, & progressum dissimilant, nolintque, si ætatem jam maturiorem adfecuti sint, juventutis errores relegere. Si qui autem a concepto per coitum veneno se quondam gonorrhœam, penis exulcerationes, aliaque genitalium virtus habuisse profiteantur, qua ratione his malis occursum fuerit, disquirendum est, unde facile judicium poterit formari.

## §. VII.

**Causa** Nunc ad causam luis venereæ considerandam progrediamur. Hæc autem quum in Europæa orbis parte, ut §. I. innuimus, soli contagio, & miasmati morbifico, ab ægris ad fanos dimanante tribuenda sit; paucis nunc perpendamus, quo principio hoc perniciosissimum, & subtillissimæ indolis virus suam in corpus nostrum violentiam exserat. Jam in eo quidem auctores conveniunt, ut his maxime modis virulentiam venereum ab infectis in corpus sanum admitti statuant, cum vel per frictionis motum sive contactum lugendo, osculando, & lactando, poris partium insinuatur, vel exhalando, instar halitus, viciniis partibus inspiratur, vel, quod pierumque fit, per coitum, ex alterutra concubentis parte impurum communicatur; sed in specifica hujus contagii natura ejusque agendi modo determinandis adhuc toto, ut ajunt, cœlo differunt. Alii ab acrimonia acri rodente, & coagulante; alii a sale alcalino corrosivo; alii a

specificâ quadam acrimonia exitiales derivare effectus contendunt. Sed hæc dicendo nihil reapse dicunt, quia ipsos effectus, seu producta veneni pro ipsius causa declarant. Et profecto, si meam interponere licet sententiam, equidem sollicitum hoc scrutamen supervacaneum esse arbitror. Nam plura sunt in rerum natura, tenuissimæ indolis admodumque parvæ molis, quorum intima natura ac crasis, & ab hac immediate dependens vis agendi, miroisque effectus, in sensu incurrentes producendi, captum nostrum, & intelligentiam plane superant. Videamus hoc in contagio pestis, morbo variolarum, lepra, scabie maligna, morsu canis rabidi, & hujus generis aliis; ubi veram veneni peccantis causam, & indolem exacte demonstrare nunquam hactenus licuit. Sufficiat igitur medendi scopo, ut tantum perniciosis veneni effectibus impediamus, quo minus suam in corpore humano potentiam exserant; præfertim quum in rebus altioribus ignorantiam profiteri consultius sit, quam aliquid adserere, quod satis probari nequeat.

## §. VIII.

Placuit mihi hac de re quam maxime FERNELII prudens limatius- alienus que judicium: *boc in morbo, (venereo)* inquit, *aliisque venenatis batio.* purimos videoas cœptiosas, eaque admodum inani, ratione falli, quod, dum vident symptomata, hæc omnia cum humoris cujuspiam (acidi, acris) vitio insultare, nihil præter humoris acidum inesse putant, nihil magis animo concipiunt, neque acriori animi acie perscrivantur. num aliud quidpiam in hunc ore subsit, in quo præcipua affectionis causa subsistat: quale procul dubio si sensu non certimus potest certa ratione ac intelligentia comprehendi, aliquin in maxima rerum ignoratione versamur. Accedit, si abstiutæ istas, & spe-

tres mo-  
di infec-  
tionis.

Veneni  
natura  
dificil-  
ter co-  
noscitur.

Hoff Syst. T. IV. P. 5.

F 3 cifi-

cificas agendi vires contagii multiplicativi ad manifestas qualitates , v. g. ad acrimoniam acidam , falsam , vel alcalinam transferre velimus , quod multos postea errores in ipsa remediorum applicatione commissuri essemus . Minime enim difficile esset humorum , cujuscunque etiam generis , acrimoniam per appropriata remedia tollere ; quod tamen in nostro affectu veritati minus respondet . Eaque propter etiam illi multum mihi hallucinari videntur , qui argentum vivum , quod specicum hujus morbi antidotum est , elemento alcalinæ naturæ penetratissimo suam in acido peccante domando virtutem exferere autumant .

### §. IX.

**De vene-** Ne tamen omnia ad hanc rem pertinentia silentio prætermittere videar , non abs re fore confido , si meam de ejusmodi venenis penetrantioribus , mole quidem tenuissimis , sed virtute activissimis sententiam declarem . Sufficienti itaque ratione inductus longaque experientia confirmatus adfero , veneni contagiosi indolem in tenuissimo fluido sulphureo , sive phlogisto æthereo , & fermentativo principio consistere , quod ulterius diffusum reliquos corporis humani succos eadem labe contaminat . Et sane plura sunt momenta , ex quibus hanc proprietatem conjecturis non ineptis licet colligere . Nam primo , exploratissima inter physicos æque ac medicos res est , fluidum sulphureo æthereum , seu oleosum , si ullum aliud , stupenda ratione posse dividiri , dissipari & multiplicari ; sicut in corporibus eodem instructis , ut Zibetho , moscho , ipsoque sulphuris fumo videre licet , quorum minima tantum molecula ita potest diffundi , ut innunneris aliis corporibus eundem odorem imprimat . Deinde , si ad virus respicimus venereum , hoc ita est comparatum , ut per plures menses , imo annos occultum latere possit , ante quam perniciem corpori inten-

dat : quod certe fieri non posset , si alias esset naturæ , sanguinique , & lymphæ inhæreret , quoniam in his circulatione continua perfacile explicaretur . Rectius itaque esse statuitur sulphureæ , & oleosæ naturæ fermentum , quod pinguedini involutum difficilius extricatur , nec tam promte cum aliis succis commiscetur . Confirmat hanc meam conjecturam ipsa contagii propagatio . Sive enim per cutis poros contagiosa labes cum corpore sano communicetur , certe non aliunde nisi in humorum pinguem , sub cuticula latentem infunditur ; sive per impurum concubitus inferatur , perinde membranis pudendorum pinguisculis , vel seminali lymphæ , quæ similiter partibus constat oleosis insinuatur , donec tandem mediantibus his succis , ceu pingui vehiculo , ad lympham , & sanguinem advehitur , totamque humorum massam inquinat , inficit , contaminat .

### §. X.

Hæc nostra sententia firmius ad- Quod va-  
huc stabilitur , si ad alios a suscepto rīs argu-  
miasmate productos morbos , ut fere confir-  
munt pestis , variolæ , morbilli , pe-  
matur .  
techiae &c. animum mentemque ad-  
vertamus , quorum materia similiter  
putridæ sulphureæ est indolis , diu-  
que viscositate pinguedinosa involuta , tanquam in latibulo , potest hæ-  
rere , donec aliquando a compedibus  
suis liberata in motum fermentatio-  
nis multiplicativum ab aliis causis deducatur , succisque vitalibus eandem  
labem inferat . Et quid dicendum est , si tetros veneni venerei effectus ,  
qui per putredinosam humorum cor-  
ruptionem se manifestant , conside-  
rate attendimus : nonne ipsos a sul-  
phureæ indolis principio , pinguedi-  
ni insidente , derivare velimus . Si-  
quidem abunde satis experientiae fide  
constat , pingua corpora faciliter lon-  
ge , quam alia in actum putredino-  
sum coniici . Ita ego quosdam in imo  
ventre sauciatos novi , quorum omen-  
tum

tum multa pinguedine oblitum, & ex vulnere protensum brevi tempore in tetterimam abiit putruginem, ut foetoris spurcitiem vix ferre potuerint adstantes. Nobiscum fere eandem fovit sententiam celeberrimus BOERHAAVIUS, vir ob eximia in rem medicam merita nunquam satis lugendus, qui in *diatriba de lue venerea* habet sequentia, illustracionis ergo adducenda: *virus venereum*, inquit, est in illo bumore pingui corporis humani, qui naturaliter in bene sanis replet eam partem, quam adiposum panniculum veteres, biderint & cellulosum membranam vocant, ita ut contagiosa labes per poros epidermidis ingressa trans cutis vascula usque ad cellulas membrana adiposa pervenerit; ibidemque occurrenti pingui permisuerit se, calore, motu, mora, assiduo magis magisque incendatur, cutim, & cuticulam superpositas rodat, corrumpat, interimque sub his circumfusas per ambitum cellulas oleosas contaminet, unde semper latior plaga in panniculo adiposo corrupto reperitur, quam supra in cute superposita perdita, & exesa est.

## §. XI.

*& Boerhaavia sententia sua* Haec tenus a BOERHAAVIO alata egregie satis comprobant, membranam adiposam non modo praecipuum seminii venerei receptaculum constituere, verum etiam, infecto jam sanguine morboque vigente, eandem praecipue affici, sicut ex variis rationibus externis ulceribusque depascentibus videre licet. Longe vero clarius rei eluceat veritas, si audire velimus, quae interpositis non nullis idem gravissimus auctor disserit: *adiposa*, inquit, *membrana quasi suppurrante, musculi nudati vividissimi pulcherrimique apparent, ulcera solam tantum pingue tunica depascuntur, nec cuti nocent, quatenus consumitis wasis cuti suppositis, bac ipsa quoque perit*. Nam

mollis est haec membrana laxique contextus, & perpetuo irrigatur succo adiposo, qui tardissime circulatur, & diutius ibi subsistit: unde sit, ut, si qualicunque vitio corruptatur, facile labem concipiatur celerem latiusque serpentem, illæsis subjectis musculis, & cute superposita intacta, fortasse quod haec partes firmitioris sint texturæ, ideoque immimenti corruptelæ valentius possint resistere.

## §. XII.

Accedimus nunc ad eventum nostrum morbi prænuntiandum. Quum vero medicus nulla re magis, quam prognosi inepta suam amittere existimationem possit, in hac certe ferenda magno opus est judicio, magna deliberatione, ne semitam empyricorum premamus, qui, ubi leve luis principium est, magnum portendunt periculum, & ægrotos violentis prorsus curationibus, imo rectius carnificinis subiiciunt, vel, ubi magna infectio plenaque periculi res est, arcanis suis curationem promittunt facillimam. Debet autem diversa luis gravitas, & ab hac pendens eventus plus minus pericolosus ex sequentibus quam maxime æstimari. Primo omnium subiectum inspectatur patiens, quod si juvenile secundum fæcum fæcta vel virile est, ac temperamento pollet sanguineo beneque valente, faciliter tolerabit morbum, quam quidem cholericæ, pituitosi minusque bene valentes, ut infantes, pueri, senes. Exceptionem tamen patitur regula in feminis, quæ licet viris longe imbecilliores sint, plerumque tamen cum morbo facilis, quam illi colluctantur, quamdiu menstruum tributum solvunt. Melius quoque succedit curatio vernali, & æstivo, quam autumnali, & hiemali tempore, melius in locis calidioribus, & meridionalibus, quam in humidis septentrionalibus, sub australi tempestate constitutis: unde multi ex Germania in Galliam concedentes a malo

liberantur, non quod in Gallia omnes præstantiores essent medici, sed potissimum, quod ibidem regnans temperata cœli tempesties curationi quam maxime faveat. Deinde per se cuique patet, luem incipientem facilius recipere sanationem, quam quæ diutius inhærendo jam altriores egit radices. Neque tamen unquam desperandum, aut lue inveterata laborantes plane deserendi sunt, sed remedio mitiori nihil proficiente ad fortius progrediendum, & contra a fortioribus interdum ad leniora, juxta ægri constitutionem, transeundum est: qua ratione insperata sæpe salus obtinetur, ut egregium prostat exemplum apud FERNELIUM cap. XV. in Dominis de Mesieres.

## §. XIII.

**L** secundum gradus morbi ex tu morbi ex tu decipiatur, respiciendi sunt diversi morbi gradus, sive symptomatum complicatorum vehementia, uti jam pridem tulit usus. Scendum itaque, quod, qui in primo tantum gradu, ceu in limine constituti gonorrhœa virulenta, fluore albo maligno, bubonibus, testium tumore, & inde ortis capititis artuumque doloribus nocturnis vexantur, adeoque vitium in fluidis tantum habent, facile ad sanitatem reducuntur. In secundo gradu, sub quo penis, & fauicium ulceræ, pustulæ, & furunculi per totum corpus diffusi, quos variolas magnas dicunt, aliaque ulceræ externa comprehenduntur, & ubi jam solidæ corporis partes labè quadam afficiuntur, curatio quidem admittitur, sed longe difficilior est, nisi aliæ eam circumstantiæ, ut vitæ genus, vires ægrotantis, & morbi complicati plane prohibeant. Maximus, ifque tertius gradus, qui cariem ossium, profundorem palati, ossiumque nasi & pulmonum exulcerationem, comites habet, vitæ minatur periculum, & concepta salutis spes merito evanescit. Quo enim nobiliores sunt partes, quæ corrumpuntur, & quo

magis muniis ad vitam necessariis destinatæ, eo gravius est a lue periculum; quod similiter dicendum est de partibus quibusvis aliis, quæ remediis parum obviæ ferro, si opus est, excundi nequeunt. Pari ratione, si corpus laborantis impurum sit, & scorbuticis infectum humoribus, aut viscera quædam præcipua, ut pulmones, lien, hæpar, uterus corrupta, conclamata sunt prope omnia, quia tum temporis heroicum salivationis remedium tuto adhiberi vix potest: unde fit, ut morbus per se non semper lethalis vitam multiplici ratione afferat. Nonnulli enim, qui simul scorbuto, & viscerum imi ventris corruptela laborant, hydrope, nonnulli, quorum pulmonibus ulcerosa insidet labes, phthisi, & hectica consumuntur; quidam alii, quorum ossa iehor venenatus carie erudit, cruciatu intolerabili pereunt, quidam sphacelo, cancro palati, & uteri extinguuntur, putridumque, & lacerum cadaver tandem abiicitur, pabulum sane ingratum, & vix vermbus jucundum.

## THESES THERAPEUTICÆ.

## §. I.

**Q**uoniam in hoc diro admodum que diffici morbo universales cu sanguinis, & lymphæ massa a malitioribus indolis miasmate seu fermento plane alienam, & naturæ prorsus adversam, putridam, vappescensem ac viscidam induit crasin, a qua, ceu a fonte omnium in hoc affectu evenientium symptomatum ratio unice petenda est, certe ad causam hanc principalem removendam vix melior excogitari potest indicatio, quam ut tota corruptorum humorum massa ex universo corpore, & minimis ejus asculis atque & recessibus per omnia emunctoria foras expellatur. Ita enim futurum est, ut gravissima illa symptomata, qua-

qualia sunt glandularum se & excretoriarum obstructions, ossium omniumque partium solidarum inflammations, & exulcerationes, tanquam effectus causæ sponte conquiscent, & removeantur. Duo vero usque eo innotuerunt modi, quorum beneficio tota humorum inquinatorum colluvies ex intimis partium solidarum latibus eiici, & expurgari possit, videlicet per largiorem pauloque diutius durantem sudorem, & per copiosum, debito tempore institutum salivæ profluvium: quare de utroque modo pauca commemorabimus.

## §. II.

**Curatio per sudorem, cum guajaci decocto.** Qnod ad priorem curandi methodum, quæ per sudorifera absolvitur, attinet, monendum hoc loco est, quod non omnis generis remedia sudorem pellentia huic scopo apta sint & idonea, sed ea requirantur, quæ non tantum meatus cutis excretorios aperiunt, humores viscidos diluunt, resolvunt ac digerunt, sed maxime etiam, motum vasorum cordis, & glandularum systolicum augendo & intendendo efficiunt, ut humores ibi residentes valde tenaces, & corrupti in motum, & progressum cieantur, commodeque ex imis partium latifundiis excutiantur. Quo nomine, ob specificam virtutem, primum celeberrima sunt lignum, & cortex guajaci, radices chinæ, & sarsaparillæ, lignum, & cortex sassafras, &c. si paratum ex iis decoctum sudoris elicendi fine usurpetur. Hæc inter vero quam maxime minet guajacum cum cortice suo, quo ipsi etiam Americani suis curationem instituunt optimeque absolvunt, eo quod illud subtili quodam, acri & resinoso gaudeat principio, quale omnino requiritur ad irritationem solidorum præstandam. Sic enim ex hoc ligno per spiritum vini rectificissimum tartaratum paratur essentia valde resinosa, quæ cum dimidia spiritus tartari parte mixta, calidoque cum ve hiculo exhibita sudorem efficaciter

movet. Longe autem frequentioris tuitarisque usus est decoctio ligni, & corticis ex aqua ita instituta, ut eius uncia in tribus aquæ libris medicis per horæ spatium decoquatur: qua ratione tantum subtilis resina, & balsamica extrahitur portio, crassiori resina substantia relata. Siquidem idem decoctum ad siccitatem leni evaporationi commissum pulverem relinquit bruni coloris, odoris, & saporis opobalsamum æmulantis, acrimoniae tam penetrantis, ut vel dimidii grani portio naribus suscepta, vehementem movendo sternutationem, mucositatem ex narium finibus, si quid aliud, potenter sine incommodo excutiat.

## §. III.

Ex qua operatione satis licet colligere, decoctum guajacinum debita quantitate debitoque tempore interne sumtum principio suo acri subtili balsamico inertes ad motus fibras, & tunicas vasorum ac glandularum nerveas stimulando humorum, & lymphæ progressum, aucta & intensiori redditæ virtute systatica, egregie promovere. Commode autem tale decoctum pro circumstatiarum ratione ad mensem unum, duos vel tres mane in lecto, lenem postea sudorem expectando, calide bibitur, tam felici sœpe eventu, ut ego hoc solo plures, phlegmatico temperamento habituque corporis spongioso præditos a peritissimis in arte viris sanatos sciam. Nonnulli etiam, ad nimiam humorum tenacitatem eo melius dissolvendam, idem decoctum cum balneo laconico, quod cum spiritu vini accenso paratur, usurpare suadent; neque ideo taxandi videntur, si modo debitam cautionem iustumque circumspectionem adhibeant.

## §. IV.

Quodsi vero sunt teneriora, ma. <sup>2</sup>) cum silentiora sensibiliorisque naturæ subiecta, decoctum hoc guajaci, ob decodis. majorum, quem in humoribus excitat

mo-

motum, & ebullitionem, non con-  
gruum semper est remedium ad luem  
extirpandam, sed tum præferenda  
sunt decocta, quæ ligna, & radices  
temperatores ingrediuntur, cujus ge-  
neris sunt radices sarsaparillæ, chi-  
næ, lignum sassafras, & ex nostris re-  
gionibus lignum juniperi, radix ci-  
chorei, saponariae, bardanæ, gly-  
zyrrhizæ, & alia, quæ in formulam  
redacta medicinalem, oleo tartari per  
deliquium, ad meliorem extractio-  
nem, possunt imbuī; siquidcm hoc  
sal quasi clavis est, qua firmior, re-  
sinosa, & viscosa lignorum compa-  
ges recluditur. Longe vero præstan-  
tior horum decoctorum in debellan-  
do malo est effectus, quando antimo-  
nium crudum in petia ligatum in co-  
ctione additur, vel etiam, ut quorun-  
dam mos fert, argentum vivum adii-  
citur. Atque tum eadem species, &  
decocto saturationi mane bibendo, &  
loco potus ordinarii hauriendo inser-  
viunt, ita tamen, ut si hic finis in-  
tenditur, in tripla majori aquæ quan-  
titate decoctio instituatur, additis  
pro re nata passulis minoribus, &, suavioris conciliandi saporis gratia,  
cinamomi pauxillo adjecto.

## §. V.

**Formulae**  
**decocto-**  
**rum.** Ad meliorem mentis nostræ evo-  
lutionem præscribere placet unam alteramve decoctorum formulam: Re-  
cipiantur rasuræ ligni guajaci unciaæ  
quatuor, corticis ejusdem uncia una,  
radicum sarsaparillæ, chinæ ana li-  
bra dimidia, cichorei, glyzyrrhizæ  
ana uncia duæ, salis tartari uncia di-  
midia. C. C. D. S. species, quarum  
uncia una, & semis cum duabus dra-  
chmis antimonii crudi in petia ligati  
in tribus aquæ mensuris coquenda,  
& facta colatura tertia mensuræ pars,  
ad sudorem pellendum haurienda.  
Relictis a coctione speciebus, addi-  
tisque passularum minorum duabus  
vel tribus unciais aquæ tenuis affunde  
mensuras tres, fiat per horam deco-  
ctio in vase clauso: colat. D. S. pro  
potu ordinario. Si quis vero deco-

ctum paulo temperatoris desideraret  
virtutis, sumat modo rad. sarsaparill.  
libram dimidiā, chinæ, scorzone-  
ræ singulorum uncias quatuor, cicho-  
rei, glycyrrhizæ ana uncias binas,  
cort. ligni sassafr. unciam unam, sa-  
lis tartari drachmas tres, eademque  
specierum, & aquæ quantitate, sicut  
in priori, instituat decoctionem.

## §. VI.

Residet profecto in convenienti ho- 3 ) cum  
rum decoctorum usū magnum auxi-  
lium, magnumque in principio mor-  
bi vincendo præsidium. Ubi vero jam  
altius inhæret malum, temporisque  
diurnitate obfirmatum fuerit, &  
jam fluidis æque ac solidis partibus  
infestis misera pessimorum sympto-  
matum syndrome adornatur, eadem  
non adeo semper medentum exspecta-  
tioni, & ægrotantium votis respon-  
dere experimur, sed postulat morbi  
gravitas, præsertim in locis septen-  
trionalibus, & majori frigori obno-  
xiis, ut virtus illorum difcutiens, &  
resolvens additis efficacioribus reme-  
diis augeatur. Quod quidem nostra  
methodo auspiciatissime perficitur, si  
cum ejusmodi decoctis medicamentum  
ex minerali regno petitum, quod me-  
curialis vel antimonialis est prosa-  
piæ, debita dosi offeratur. Atque hoc  
nomine, & virtute commendatissima  
sunt æthiops mineralis, vel sulphur  
antimonii auratum, ex lixivio scoria-  
rum reguli antimonii cum solutione  
auri præcipitatum, quod ad tria qua-  
tuorve grana sumtum, ad impurita-  
tes omnis generis e sanguine eluen-  
das, remedium est potentissimum.  
Huc quoque pertinent tinctura anti-  
monii acris, vel sal antimonii sulphu-  
reum ex scoriis reguli simplicis arte  
paratum vel etiam pulveres, ex dua-  
bus partibus cerusæ antimonii, & una  
parte cinnabaris ejusdem confecti:  
quæ singula cum decoctis superiori-  
bus debito regimine sudorifero exhibi-  
ta humores viscidos, tubolorum mi-  
nimis impactos fortiter collignant,  
dissolvunt, & tam per subcutaneum,

quam

quam renale cibrum copiose eductum.

## §. VII.

Regula  
In adhi-  
bendis  
decoctis  
obser-  
vanda. Verum enim vero, ut cura hæc sudorifera optatissimo gaudeat effectu, opus esse reor, ut corpus ad eam sine noxa preferendam bene prius præparetur. Quo fine primo omnium necesse est, ut, urgente plethora, conveniens sanguinis quantitas per venæ sectionem detrahatur; deinde, ut prima regio, totumque corpus a vitiisorum faburra per alvum depleatur. Quoniam tamen obtinendo huic scopo non omnia sine discrimine laxantia, & purgantia, sed tantum selectiora nonnulla, eaque magis appropriata inserviunt, scire licet, hunc censum maxime subire gummata resinosa, uti sunt gummi ammoniacum, sagapenum, opopanax, galbanum, &c. quæ cum extracto rhabarbari, hellebori nigri, & mercurio dulci roborata, mediante essentia ligni gujacii, vel balsami Peruviani in formam pilularem possunt redigi, sumenda pro dosi drachmam dimidiam. Peracta cum hisce pilulis, ter vel quater circa alterum diem sumtis, purgatione, ausplicanda est cura sudorifera, & simul idoneum diæta regimen fervandum: cuius ratio in eo præcipue continetur, ut victu exquisito tenui utentes ægri panem bis coctum, moderatam carnis assatæ portionem cum passulis exacinatis, & tenoviora carnis vitulinæ, vel gallinarum jufcula cum lactuca, endula, asparago, Selleri, &c. decocta comedant; ceteroquin vero, quantum fieri potest, sibi temperent, quo minus pinquibus, carnis elixis, piscibus, lacticiniis & farinaceis multum inhærent.

## §. VIII.

Cura fa-  
litoria  
perficitur  
mercurio,  
& gel-  
deu Altera luis venereæ curatio, quæ mediante salivatione perficitur, locum tum invenit, quum malum altius infixum nec stricta diæta, nec cura jam laudata sudorifera evelli potest, quia tunc utique alia, majoris

efficacæ remedia, & quæ morbis giganteis debentur, heroica in usum arcescenda sunt. Huc spectant medicamenta ex argento vivo parata, quæ revera specificum rebellis hujus luis antidotum suppeditant, eo quod præter mercurium in univerla rerum natura nec certius neque efficacius detur remedium, quod subtilitate sua tenerima, penitus in intimos corporis recessus penetrando, tenacem, viscidum, & in tubulis quasi coagulatum humorem tam potenter resolvat fluxilemque reddat, & ad congruum emunctorium, palati, & faucium glandulas, ad faciendam ibi excretionem, propellat.

## §. IX.

Prostant autem varii, mercurium vel suffad salivationem adhibendi modi, migis &  
inunctio- quos breviter strictimque indicabimur. Veteres per suffimenta, mercurium in vapores resolvendo, curationem morbi peragere contulerunt, sed minus commode, quia crassi dense sique hi vapores nervoso generi sunt inimici. Tutior, isque frequentior est usus per unguenta, quibus argentum vivum probe subactum corpori applicare solent. Atque hæc methodus in Gallia maxime haec tenus obtinuit, & a chirurgis ibidem degentibus hac potissimum ratione instituitur: unguentum rosatum, & pomatum, æquali ad unciam portone sumtum cum uncia mercurii vivi, in sufficiente quantitate terebinthinæ extincti intime miscetur, additis pro lubitu olei lavendulæ guttis decem, & dimidia balsami fieruviani drachma: quo unguento juncturæ pedumque malleoli, & genua quoque, si opus est, matutino tempore, & ventriculo a cibis vacuo ad fornacem per tres quatuorve dies probe inunguntur, donec salivæ sequatur profluvium; non omisso interea decocti lignorum temperatoris usu.

## §. X.

Sunt dein ex medicis, & chirur- l'usa  
mercurii  
interne. gis peritioribus nonnulli, qui saliva- tionis

tionis cura per inunctionem seposita in rebelliori malo, tutiorem existimant modum per mercurialia interne sumta salivæ fluxum promoven-  
di, atque hac methodo utuntur. Mer-  
curii dulcis rite parati quatuor vel  
quinque grana, cum antimonii dia-  
phoretici, & cancerorum lapidum ea-  
dem quantitate in pulverem redacta  
cum conserva rosarum in juscule ave-  
naceo, vel infusum theiformi propin-  
nant, augendo circa alterum diem  
mercurii dosin ad duo vel tria grana,  
& paullatim ita adscendendo, donec  
ad drachmam dimidiā plementum  
sit, & salivæ fluxus oriatur, qui in  
nonnullis, præsertim sensibilioribus,  
septimo, in aliis nono vel undecimo  
die incipit. Quodsi vero in corpori-  
bus natura segnioribus, & phlegma-  
ticis non ex voto succedit operatio,  
tum per aliquot dierum spatium sub-  
jungitur externa mercurii inunctio;  
unde saliva tam laigo prodit flumine,  
ut sæpe ad duas vel tres mensuras ejus  
accedat quantitas. Tum vero abi-  
nendum est ab ulteriori tam interno  
quam externo mercurialium usū, ni-  
hilque, salivæ fluxu rite procedente,  
innovandum, sed potius curandum  
est, ut abacto omni frigore æger in  
temperate calido seruetur regimine,  
quod peragendæ huic curæ accom-  
modatissimum est; sicut etiam ideo  
æquabilem veris temperiem quam ma-  
xime eidem favere deprehendimus.  
Deinde tructus vitentur horæ, ne  
diarrœa excitetur, potus sumatur nun-  
quam frigidus, neque bibantur cere-  
visiæ, multo minus ipirituoſa, sed  
potus loco decoctum radicis chinæ,  
scorzonæræ, & glycyrrhizæ cum pa-  
ſulis adhibeatur. Atque hæc saliva-  
tio per duas vel tres circiter hebdo-  
mades tamdiu est continuanda, donec  
clara, & limpida ex ore saliva pro-  
fluat, nec amplius moleſtissimus oris  
ſector obſervetur.

## §. XI.

**Praepara-**  
**rio ad fa-**  
**llivatio-**  
**nem.** At vero, quum multum omnino  
referat, ut corpus ad generofam fali-

vationis curam rite præparetur, pri-  
mo omnium hoc fine sanguinis missio  
in plethoricis instituenda, & corri-  
gentibus remedis humorum impuri-  
tas emendanda est: cui usui præter  
decocta temperatoria diluentia, &  
puveres absorbentes leniter diapho-  
reticos, præcipue intervint laxantia  
supra praescripta, ut iisdem superflua  
feroæ fordes ex habitu corporis ex-  
terminentur.

CAUTELÆ ET MONITA  
RACTICÆ.

## §. I.

**Cautelæ**  
**circa dif-**  
**ferentiam sub-**  
**jectorum.**  
In omni venereo luis curatione ri-  
te instruenda nunquam certe non  
corporum laborantium habenda est ra-  
tio, ita ut debiles, pueros, & mulie-  
res, præsertim gravidas, a robustis,  
& valentioribus discernendo videa-  
mus, quæ utriusque pro diversa cor-  
poris constitutione conveniat fana-  
tio. Nec minori opus est cautione,  
ut malum recens, & inveteratum mul-  
tisque gravioribus stipatum symptom-  
atibus distinguamus: siquidem di-  
versus morbi gradus, diversam requiri-  
t curationem, eamque vel remediis  
mitioribus, vel vehementioribus per-  
ficiendam. Atque utilissima hæc mon-  
ita nisi exacte obſerventur, pericu-  
lum est, ne vel ægrotos sine ope mi-  
feros a nobis dimittamus, vel in ma-  
jorem præcipitemus pernicem.

## §. II.

Speciatim vero heroica salivatio-  
nis cura, niſi recte adminiſtretur, salivatio-  
nem funestum fortitur eventum: quare  
multe sunt cautions tam ante ejus  
usum, quam sub ipſa cura obſervan-  
dæ. Quando igitur lues in corpus in-  
cidit cacocymicum, & scorbuticum,  
obſervatio paulo ſubtilior adhiben-  
da est, ante quam faliuationem in-  
tendamus. Quodſi enim impura ejus-  
modi corpora mercurialibus velimus  
tractare, ipsique faliavam movere,  
longe deteriora fiunt symptomata;

quia

quia mercurius salibus adsociatus valde rodentem acquirit facultatem. Tutius itaque in hunc modum procedere juvit: evacuat prius cum laxante mannato, & rhabarbarino primis viis, serum lactis dulce cum succis herbarum antiscorbuticarum, coleariæ, fumariæ, beccabungæ nasturtii aquatrici imprægnatum, vel etiam decoctum lignorum temperatius cum lacte mixtum per integrimensis decursum bibatur; & postea demum ad decocta lignorum sudorifera vel etiam, si necessitas urget, ad mercurialia deveniatur. Similis cautela adhibenda est in iis, qui ex viris ad affectiones spasmatico-hypochondriacas, ex feminis ad passiones hystericas, sive ex utroque sexu ad effrenes sanguinis congesiones, ejusdemque par nares, haemorrhoides, & pulmones evacuationes sunt dispositi, quibus omnibus sola salivatio nunquam conductit. Multo vero minus in illis debet suscipi, qui viscerata qualicunque labe affecta habent, quia metus est, ne auctis inde obstructionibus ad lethum ducantur ægri.

## §. III.

Deinde, corpora secunda, & macilenta non adeo bene ferre solent mercurialia, quapropter insigne stragema est, ut humores prius fluxiles reddamus, fibrasque rigidiiores & ad spasticas stricturas proclives relaxemus: quod optimo consilio perficitur per balnea aquæ dulcis temperata, duas vel tres ante salivationem hebdomades una cum decoctis lenitoribus adhibenda. Atque his præmissis optime blandeque saepe agere vidiimus mercurialia.

## §. IV.

Circa Dira quandoque sunt, quæ curationi mercuriali adsociantur symptoma, ut dentium nigrescentium a nimia gingivarum relaxatione inducta vacillatio, linguae fauciumque intumescens cum masticatione, & deglutitione diffici, appetitus pro-

stratio somnus ob salivæ fluxum noctu etiam durantem valde interrupsus, & notabilis virium defectio: quæ omnia partim ab impetuosa salivalis lacticis profusione validoque seri ab extremis, & infernis partibus ad fauces impulsu, partim vero ab imminuto alii, & urinæ fluxu proveniunt. Quapropter, si nimium urget, & vires plane destruit salivæ profluvium, humorum motum ad inferiora derivare juvat per pediluvia dextre adhibita, per clysteres, per laxantia mannata, & rhabarbarina, vel, si hæc non sufficiunt, per pilulas nostras balsamicas cum extracto panchymagogo Crollii interdum acutas, vel etiam per pulverem rhabarbari, cum diagrydio sulphurato vigoratum, & cum syrupo chichorum thabarbi, in electuarium redatum, quod simul roborandis gingivis egregie inservit. Neque tum laude sua carent infusa theiformia, ex veronica, scabiosa, floribus sambuci, & salviæ parata cebriusque oblata, quia iisdem humorum motus ad extimam corporis superficiem dirigitur, & saluberimum transpirationis negotium perbellè promovetur.

## §. V.

Præter hæc interna derivantia quod speciatim attinet ad externa, in oris fauciumque vitiis sub ptyalismo eventibus, applicanda oportunitissime adhibentur gargarismata, ex speciebus purificantibus leniterque constringentibus composita, quarum præcipue sunt baccæ, & folia myrti, flores balaustiorum, rosarum rubrarum, herba menthae, melissæ, cortex cascarillæ, mastix, &c. quæ in aqua flor. sambuci, planta ginnis, vel vino rubro decocta siphonis ope possunt iniici, iisdemque ossepius collui. Ad nimiam vero gingivarum laxitatem dentiumque lapsum præcavendum essentia terræ catechu, tinctura lacceæ Mynsichti, vel

Circa oris vicia & dentium lapsum.

vel balsamum nostrum vitæ cum syrupo granatorum, vel aurantiorum mixtum, carnique gingivarum crebrius admotum, egregiam præstant opem.

## §. VI.

**Circa do.** Incidit sœpius, ut mercurialia pro labore intestino salivatione cienda propinata dolores & excitent intestinorum admodum fevigillas. roces : quare tum protinus danda sunt theriacalia, ut theriacæ coelestis aliquot grana cum emulsione amygdalarum dulcium, & uncia dimidia syrapi diacodii. Atque ejusmodi emulsiones cum aquis antispasmodicis paratæ, & cum syrupo papav. albi edulcoratæ commodum etiam habent locum, quando nimia & assidua vigilia auxilium urget, quia tali in casu fortiora dare hypnotica nunquam securum est, sed leiora tantum hæc sufficiunt.

## §. VII.

**Cantela post salivationem.** Ipsa salivationis cura nonnunquam ad triginta, & sex dies, imo longius protrahenda est; quibus exactis nihilominus sœpe ægri certam mercurii dulcis dosin omni septimana debent sumere, & se diutius adhuc ab acribus, pinguisque cibis abstinerre. Et quum plerique peracta salivatione sint famelici, omniaque velint ingurgitare, nimiam quoque ciborum abundantiam vitare decet ægros, quia instar infantum sunt considerandi. Etenim, quoniam vetus sanguis fere omnis per salivæ fluxum, mercurialium ope excitatum, fuit educitus; sanguis, & succi benigni nunc denovo sunt substituendi, quod per alimenta paucæ, eupepta, & eucrypha perficitur, simulque talii ratione recidiva præcavetur. Sunt quoque, finita salivatione, mutanda vestimenta, quoniam haud raro somes venenatus non penitus extinguitur quasi in cineribus latitat, qui novos postea tumultus suscitare valent. Quam in rem legendus est **HILDANUS** centur. V. observ. 315. ubi præstantissimus hic auctor etiam

alias salutares suppeditat cantelas, circa salivationis operationem obseruatæ necessarias, in primis, quod ante eam tophi ossium sint emolliendi, caries tollenda, ulceraque, quantum fieri potest mundificanda.

## §. VIII.

Virus venereum quam facile sese **Circa na-** adsoiat ossiculis harium spongiosis, & palati quoque ossibus firmiter **rum, & palati ul-** inhærescens partes has teneriores vehementer corredit, exedit, & in fragmenta putredine dissolvit. Quo in casu mercurialis salivatio paræ sola proficit, sed potius intra nares cum siphone fieri debent injectiones liquorum putredini resistantium, ex aqua d' arquebusade, essentia succini myrræ, balsami Peruviani, additis aliquot olei caryophyllorum guttulis, compositorum; quibus mirabile certe levamen exesis hisce partibus afferri solet. Quando enim non cito satis tetrica ista putredo sititur, ossa palati exulcerantur, & carie ita exeduntur, ut foramina fiant, quibus adsumta, præsertim potentula per nares regeruntur.

## §. IX.

Exostoses, & caries ossium non semper per mercurium certo curantur, sed melius sœpe per guajaci decoctum, in magna quantitate, ad aliquot mensuras in die haustum. Externa vero ope ut simul subveniamus, caries ossis, & nigredo primum est abradenda, dein pulvis euphorbii inspergendus, vel loco hujus aliquot olei guajaci, caryophyllorum, vel cinamomi non adulterati guttulae cum gossypio applicandæ. In occultâ autem carie juvat carnem, que cariosum locum contegit, putrefacentem vel scalpello, vel cathæreticis separare, ut os oculis remediiisque adhibendis pateat.

## §. X.

Non raro accedit, ut ipsa ossium **Circa ta-** compages, præsertim tibiarum, a su-**pos.** scepto intus virulento humore in tumorem attollatur, atque in dura abeat

beat tubercula, quæ, quia inde sensibilis periostræ membrana rumpitur, vehementer dolent. Atque tum pariter externis succurrere decet, ex quorum numero emplastrum Viginis cum mercurio, vel emplastrum manus Dei, seu miraculosum, debita additione mercurii vivi, & balsami sulphuris terebinthinati, sive juniperini vigoratum, ob eximiam opem summam merentur commendationem. Quo etiam spectat emplastrum emollientis Agricolæ in chirurgia ejus parva descriptum.

## §. XI.

Ratio morborum in ossibus. Enimvero, mirum forte cuiquam esse posset, ipsa quoque ossa, seu corpora sensus expertia, & tam solida, ut ferro vix findi possint, hac in lue graves laesiones, tumores, inflammations, & apostemata, imo dolores fere intolerabiles pati. At vero, quia ossa nutriuntur, crescunt & augmenta sumunt, omnino influxum recipiunt humoris nutritiæ lymphatici tenuis: unde non mirandum est, cur etiam putredine & apostemate infici possint. Quando cunque enim acres ichores in ossium poris coacervantur, acredine sua illa corrodunt, non secus ac teredo vermis lignum solet perforare. Hanc ulcerosam ossium affectionem AVICENNA, unus ex præcipuis medicorum antistitibus, ventositatem spinæ appellavit, & ita exoriri docuit, quando ichoris putridi, in ossium cavernis accumulati pars grossior in tubera, & tophos concreceret, altera subtilior sua acrimonia ossa, & panniculos ejus arroderet atque distenderet, quorum panniculorum ope ossa dolerent, & quasi terebra perforari viderentur. Quod vero noctu præsertim atrociores hujus morbi dolores osteocopi ingravescant, id ea ratione fieri arbitror, quia sole occiduo, ob motum fluidi ætherei leniorem, humores magis sunt viscidiori tenaces; lecti vero calore acres corrodentes subtiliores partes magis

in motum centur, ut membranulas, tendines, & nervos graviter vellent, & vaporoso flatu distendant.

## §. XII.

Pustulæ venereæ in fronte, & mento efflorescentes, sanieisque, & ichorem putridum acrem fundantes difficulter tolluntur, & consolidantur, nisi veneno venereo probe retuso, omnique symptomatum ferocia refrænata. Neque etiam linimentis, unguentis, & emplastris semper cedunt, sed ab applicatione unguenti digestivi, ex vitello ovi, myrra, & terebinthina Veneta parati, & cum æquali portione balsami nostri vitæ remixti singularem vidi effectum consolidantem.

## §. XIII.

Gonorrhœa virulenta albique fluoris ex mulierum pudendis stillicidium mercurialibus non fistuntur. Urgent tamen nonnunquam auxilium; quo saliva fine præter ea, quæ suo loco in capite de gonorrhœa innuimus, injectiones tam in uterus quam in urethram immisæ profund; quales ex aqua calcis vivæ secunda, cum aqua rostarum vel sambuci facta, & cum aqua d' arquebusade mixta possunt confici, quibus in gonorrhœa nonnunquam sacchari saturni pauxillum potest addi. Neque tumores testium salivatione proprie curantur, nisi simul idoneis succurramus externis remedii, quæ in fotibus, & vaporibus, ex herbis, & floribus emollientibus in lacte coctis partique affectæ admissis, nec non emplastro Viginis cum mercurio potissimum consistere debent.

## §. XIV.

Restat autem peculiaris medendi methodus, quæ, si internam spectamus opem, non modo jam dictis genitalium affectibus, quando nec cura sudorifera nec mercurialis sufficit, egregie opitulatur, verum etiam in debellandis aliis hujus symptomatis, ut fere sunt putrida ossium squamosorum corruptio, polypus, &

& ozæna, pessimam stillans saniem, mirifice prodesse solet. Hæc enim mala tam pertinaciter inhærent, ut curationem omnino singularem poscant, quæ nostra methodo, & experientia per medicamenta quidem mercurialia, sed eadem valde correcta, & virtute diaphoretica exaltata, sine largiori salivæ ad aliquot hebdomades durante profluvio perficitur. Jam ferre triginta elapsi sunt anni, quum ego dissertationem de morbis rebellibus chronicis sine salivatione curandis conscripsi, ibidemque docui, qua ratione mercurius intima auri vel stanni admixtione diaphoreticus reddi posset. Siquidem hæc metalla singulari quadam, & quasi propria pollent efficacia, penetrantem volatilem, partibusque nervosis infensam mercurii indolem cicurandi, & ita temperandi, ut ne ad intimam membranarum compagem penetrerent, sed tantum vim vasorum fistulicam augendo, circumatum sanguinis, & lymphæ intendant, quo mediante ad ambitum corporis cutisque spiracula vitiosi humores ducentur, & inde evacuantur.

### §. XV.

Eius præparatio & scire licet, quod alter mercurius diaphoreticus ex amalgamate mercurii, & stanni, ita conificatur, ut defuper abstracta aqua forti edulcoratio cum aqua fiat, alter vero ex commixtione mercurii, auri, & æquali portione reguli antimoni, defuper abstracta aqua regis, itidemque facta edulcoratione, præparetur. Atque cum medicamento hoc diaphoretico, auri in primis combinatione præparato curatio non frustranea ita institui debet: primo pilulis mercurialibus supra descriptis aliquoties alvus est solvenda, deinde, humectato prius corpore per balneum, ex aqua fluvialili furfuribusque triticeis paratum, & aliquot dies adhibitum, mane & vesperi mercurius ille cum antimonio diaphoretico, vel in conserva rosarum, vel in forma pilularum ad scrupulum

unum per aliquot dierum spatium offeratur, postero die mane superbendo decoctum lignorum temperatum cum regimine diaphoretico. Tuitior tamen est hæc medendi methodus, si perfecta ciborum digestione circa horam pomeridianam quintam vel sextam æger quotidie per mensum in balneum descendat, & cubitum iturus medicamentum dicto modo sumat: qua ratione non raro tam exoptatus obtinetur effectus, ut aliis dein curationibus internis non semper opus sit, ad pestiferum illud virus ex corpore eliminandum; si modo ægri simul reatum conjungant victimum, debitamque potum temperatorium copiam, quam sat magnam esse decet, adsument.

## O B S E R V A T I O I.

### *Enarrationes Morborum.*

**V**ir quadraginta annorum, sicceæ <sup>Lues ve-</sup> temperaturæ corporisque maci- <sup>nera ex-</sup> lentioris, jam dum a multis annis, <sup>ponor</sup> ob vietum durum, & falsum, non <sup>rheam</sup> le tradi- modo scorbuticam humorum diathe- <sup>ta.</sup>  
sin sibi contraxit, verum etiam elapsò nunc biennio post concubitum cum impura femina celebratum gonorrhœam incidit virulentam, quæ adstringentibus, & terebinthinaceis tractata feliciter quidem substitut, sed acerbum capitis dolorem, noctu plerumque auctiorem, cum alvo striictione, & arida reliquit. Consiliebatur chirurgus, qui primo quidem lignorum decocta cum regimine diaphoretico potanda commendabat, sed brevi post, nihil his proficentibus, mercurialia in excessiva dosi ad drachmam dimidiā per aliquot dies propinabat: unde tam copiosæ alui dejectiones excitabantur, ut ingens virium iactura vitæ periculum minaretur. Refectis paullatim viribus aliquique fluxu cessante, capitis dolores nihilominus magnam figebant cruncem; unde cura per artuum inunctionem

nem salivatoria instituebatur ; qua nondum penitus finita quum æger diætæ strictioris impatiens parum sentiret levaminis, adibat medicos, qui decocta lignorum sudorifera diligenter commendabant ; a quorum usu mox in universo corporis ambitu maculæ prodibant rubicundæ, ob ardorem, & pruritum molestæ. Variæ hoc fine dabantur refrigerantia, & nitrofa, idque inde obtinebatur, ut maculis ad tempus disparentibus, tantum levis cutis ardor remaneret. At vero, redeuntibus non adeo multo post maculis, dolores capitatis, & artuum lancingatorii, somnum plane turbantes plusquam ante unquam ægrum afficiebant ; alvus plerumque adstricta nonnisi dura, & pauca dimittebat scybalæ ; imo in ipso abdomen, flatulentiis turgido tormina sæviebant spastica cum urinæ difficultate, & ardo re juncta. Tandem pedum tumor insignis accedebat : quare æger de vita sollicitus meam postulabat o pem.

## EPICRISIS CUM CONSILIO.

Pessimè sibi consulunt, qui lascivo veneris stimulo perciti eidem promiscue illico ausu indulgent, atque sic non modo totum corpus enervant, verum etiam cum scor- tis impuris cœuntes idem in se malum derivant. Exemplo sit præsens ægrotus, qui ob vagam libidinem primum molesto liquoris seminalis stillicidio laboravit, & hoc de- dum cohibito acerba luis venereæ symptomata expertus est. Deinde reprehendi meretur iniqua chirurgi methodus, quam in fannando ægro audacius justo adhibuit. Nam quum corpus siccum, & macilentum per balnea prius, & decocta debuisset humectare, statim mercurialia in nimia dosi propinando, totum curationis opus pessundavit. Quodsi enim hæc medicamenta vel

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

minus rite præparata, vel in immoderatiori dosi exhibita fuerint, nec salutares diætæ regulæ observatæ ; mirifice plerumque tonus, & robur solidarum, in primis nervosarum partium, quas inter ventriculus, & intestina primas tenent, labefactatur, ut postea multa opera multoque tempore opus sit, si omnes naturæ motus a regula deflectentes in ordinem redigere, suæque restituere integrati velimus : unde discere licet, quod perversa luis venereæ curatio valde difficilem, imo prorsus dubiam reddat perfectam malii sanationem. Si quando obveniunt ejusmodi ægri malis curationibus corrupti, caveat sibi medicus prudens, ne eosdem sine habito respectu sanandos recipiat, quia sæpe oleum, & operam cum fama perdit. Verum enim vero, quum penitus deserere ægros sæpe religioni fit, id maxime agendum est, ut serio injuncta strictiori diæta noxios humores per sudorem elicere studeamus, subjectis in fine roborantibus. Quo nomine commendare licet sal volatile cornu cervi, & spiritum cornu cervi succinatum cum spiritu tartari, camphora, & croco mixtum, qui cum decocta lignorum temperato, quod etiam ordinario potui inservire potest, exhibitus potenter sudorem pellit, præsertim si regimen in lecto diaphoreticum accesserit. Cavendum tamen summippere est, ne excessu peccetur : quare per aliquot tantum dies sudare, postea quiescere, & corpus bonis succis reficere, idque aliquoties alternatim repetere juabit. Inter hæc danda est opera, ut alvus, quæ plerumque clausa est, aperta servetur : quem finem tum per clysteres emollientes, & oleosos, tum etiam per rhabarbarum, mannam, & sennæ folia, stipitibus denudata, imo in nonnullis per sola alimenta lubricantia, ut sunt prunellæ, poma Borstdorf

G

fien.

fensiō cocta, & passū tam minores quam majores exacinatæ, obtinere licet.

## O B S E R V A T I O II.

Venera  
nasi, &  
faucium  
corru-  
ptio.

**P**Uerum, duodecim annorum, jam ante biennium gravis, & lancinatorius artuum dolor affixerat noctu tam vehemens, ut somnum capere vix potuerit. Non multo post se rosa, falsa & acris, cum dolore, & ardore juncta defluxio interiorum narium substantiam occupabat, quam parentes pro coryza habentes negligebant; donec auctis doloribus humoris mox lenti, & viscidi, mox viscidissimis, & sanguine tincti sequebatur effluxio, ad quam abigendam chirurgum advocabant, qui ad demulcendam humorum acrimoniam non modo mucilaginem naribus attrahendam praescribebat, sed & pulvres siccantes ex bolis confectos, cum aqua solani, & roscarum mixtos siphonis ope naribus indebat. At vero, factidissima illa narium corruptio ita invalescet, ut materia altius serpens non tantum narium concavationes, sed faucium quoque ossa ichore putrido, & plus minus sanguinolento, depasceret: siquidem innumeris fragmentis osseisque squamulis quotidie exemptis ossa turbinata, & cartilaginiæ fere omnes intra anni spatium consumebantur. Adjungebatur medicus, qui probata medendi methodo, a chirурgo hactenus adhibita, nihil omnino, præter medicamenta quædam sanguinem depurantia propinabat, sed sine ullo meliori effectu; ut potius sub horum usu oī palati carie exesum sat late foramine hiaret, & dentes aliquot cariosi ex superiori maxilla exciderent. Exterius quoque in facie prope nares tumor emergebat, percunte simul omni odoris, & tactus sensu, ut nihil prope a stilo, profundius naribus immisso precipiteret. Inter hæc puer graviter conquerebatur de doloribus osteocopis,

qui somnum fere omnem, ciborum adpetentiam, viriumque robur abigebant; & jam eo res devenierat, ut & chirurgus malum desperatum nulla ope sanandum pronuntiarent. Quare parens perterritus ad me confugit; unde ego ineptissima hac curatione, quæ refrigerantibus absoluebatur, reprobata, ad putredinem ultioriem avertendam remedium summe efficax praescribebam, ex olei caryophillorum non adulterati, balsamique Peruviani æquali portione compositum, quod saepius de die cum linteo carpto narium cavitati intrudebatur. Dein quoque decoctum agrimonæ, saniculæ, millefolii, &c. cum tintura myrræ, vel aqua sclopetaria imprægnatum spiritu attrahendum, vel siphone infundendum præcipiebam, ut inde narium interiora eo melius eluerentur. Quoniam tamen cetera, quæ jungebantur, symptomata, simul internam postulare opem videbantur, eandem hac ratione ferendam judicabam. Præmissa leniori alui laxationem, mercurium diaphoreticum solarem cum conserva roscarum subactum ad tria grana alternis diebus mane offerri jussi, superbibendo decoctum lignorum, lenemque postea sudorem in lecto expectando. Inter cibos, & ante somnum obtuli elixirium balsamicum, quod chylificatione sanguinisque depurationi egregie inserviebat. Neque demum temperata decocta, in potus locum haurienda, nec balnea vespertino tempore adhibenda omisimus, idque adspirante gratia divina obtinimus, ut non modo sensim paulatimque sordida narium ulceræ persanarentur, sed & dolorificæ artuum lancinationes cum reliquis symptomatis feliciter expirarent misereque antea affectus æger exacto mensis spatio iterum suis fungi actionibus valeret, nihil sentiens molestiæ, præter quod loquelæ impedimentum remanceret, quale immediabile erat infortunium, fortique ideo animo ferendum.

EPI-

## EPICRISIS.

Mirum forte videbitur, qua ratione puer tam infons venerisque expers in gravissimum luis venereæ affectum inciderit. Sed mirari desinet, qui secum perpendent, optimum hunc puerum cum patris famulo intimius esse versatum, qui virulenta gonorrhœa, bubonibus, aliisque malis diu laboraverat; unde concludere licet, per contagium ipsi venereum virus fuisse inspiratum. Non enim novum, sed satis compertum est, tenuissimum tale miasma ab uno in multos alios ita posse transplantari, ut singuli fiant eadem labo contaminati; ut hic loci notable prostat exemplum, quum tota quædam familia a sola nutrice infecta mediante contagio fuit inquinata. Maxime vere omnium, teneriora infantum corpora ad suscipiendam hanc labem sunt disposita, ne dubio, quod rarer, & laxior ipsorum textura expeditius, quam densior, & compactior virulentiam admittat: quare, si ullos alios, certe infantes, & pueros ab infectorum sodalito arcere debemus, ne contagii participes evadant. Si curationem spectamus, me judice temeraria ista, & imprudens fuit, quam chirurgus, & medicus suscepserunt, medicatio; si quidem nihil magis, quam topica refrigerantia sævitiam morbi potuisset augere; cum contra, si statim ab initio efficax remedium fuisset oppositum, nunquam æger in tantam incidisset perniciem. Quandoquidem ut in omnibus gravioribus malis, ita maxime in sævissimo luis venereæ affectu multum interest, ut in tempore veniendo sat potentem medelam afferamus.

## OBSERVATIO III.

Juvenis viginti, & aliquot anno-  
rum, temperamento prædictus san-  
guineo phlegmatico habituque cor-  
poris spongioso, variis genitalium  
affectibus, ut gonorrhœa maligna,  
penisque exulceratione sat diu confli-  
ctatus aliquando ingentem corporis  
languorem percipiebat, quem mox  
rauca, & insignes capitis, tibia-  
rum, & brachiorum dolores, no-  
cturno tempore cæloque nebuloso  
ingravescentes excipiebant. Post ad-  
sumtum cochleariae spiritum, cum  
spiritu Cornu cervi combinatum  
non modo dolorum atrocia auge-  
batur, sed pustulae quoque per fa-  
ciam reliquamque cutim sparsæ ad-  
parebant, saniem gradatim intus col-  
ligentes. In naribus ardor, siccitas,  
& pruritus sentiebatur, succedente  
corrupti foetidine ichoris sanguine  
tincti excretione: fauci interio-  
ra, & glandulæ, quas ob similitu-  
dinem amygdalas dicunt, foetidis ar-  
dentibus obsidebantur ulcusculis:  
in ossibus prodibant tubercula, &  
jam plurima venereæ luis signa ade-  
rant. Duo in consilium adhibeban-  
tur medici, qui hujus morbi pri-  
mordia a scorbuto derivantes mar-  
tialis, lignorum decocta, purgan-  
tia, magnamque antiscorbuticorum  
farraginem initio propinabant; do-  
nec accedente narium, & fauci-  
erosione de luis venereæ præsentia  
edocti pilulis gummosis mercuriali-  
bus contra eandem pugnabant. Sed  
parum his proficientibus mercurius  
præcipitatus bene elotus cum the-  
riaca offerebatur, ad ptyalismum  
excitandum; unde tam immanes  
vomitus pectorisque anxietates obo-  
riebantur, quæ nisi calidi lactis  
potu temperari haud poterant. Da-  
bantur itaque ex nostro consilio de-  
cocta tam saturatiora, ex speciebus  
alexipharmacis conflata una cum

tinctura antimoniī acri, ad sudorem elicendū mane capienda, quam secundaria temperata, potus loco haurienda, circa lecti vero ingredsum cinnabarina in largiori dosi cum resina guajaci, & sale volatili viperarum commixta offerebantur. Syncipiū deraſo erubibusque, & brachiis famosum illud Viginis emplastrum, aucta mercurii quantitate, camphora, & balsamo de Peru vigoratum imponebatur, & subinde balneum adhibebatur Laconicum. Quibus remediis per duos menses continuatis, adjuvante Deo, æger sine ulla salivatione, & mercurialiū usū exoptatae restituiebatur sanitati; nisi quod membrum scirrho canceriformi obsitum adhuc aliquam postulare medelam videretur, quam externo linimento, ex aqua calcis vivæ, & sambuci, spiritu vini camphorato, saccharo saturni, & mercurio præcipitato albo parato ex voto præstitimus.

## EPICRISIS.

Docet in primis hæc morbi historia, quod incipiens lues in iis locis, ubi frequentior scorbuti progenies est, ſæpe fucum offundat vel oculatissimis; præfertim si hoc morbi genere tentantur viri, qui famam sine labe obtinent, & sanctiore vi-  
tæ instituto superbiunt, vel quorum vitam ante actam perquirere verecundiæ habendum est. Facilis tamen morbi erit cognitio, si præter ea, quæ superiori §. IV. curationis innuimus, hæc probe attenduntur: in scorbutico affectu raro in capite, fronte & oſſibus tubercula dura valde dolentia prodire, neque raucedinem tam diuturnam adesse, neque etiam offa narium ſpongiosa, ſicut in lue venerea, occupari. Et profecto, permultum tam ad prognosin rite formandam, quam ad curationem recte instituendam refert, ut veram utriusque morbi indolem exa-

ete cognoscamus. Sicut enim vene-  
rea lue infecti antiscorbutica raro impune ferunt; ita contra scorbutici a mercurialibus, in quibus genui-  
num luis antidotum residet, plerumque graviter laeduntur. Quare non mirum eſſe debet, quod a co-  
chleariæ ſpiritu in noſtro ægroto mox pufſulæ copiōiores effloruerint. Præterea, id quam maxime ex hoc caſu ad uſum noſtrum convertere li-  
cebit, quod in mercurialibus propin-  
nandis admodum caute debeat-  
mus procedere, & ab uſu eorum statim abſtinere, quam primum imi-  
ventris tormenta, & vomitus ſuccedere  
videntur. Ita enim variat luis in-  
doles in diversis ſubjectis, ut inter-  
dum non aliis, niſi mercurialibus re-  
mediis cedere velit, interdum vero  
eadem plane repuat, & ſolis deco-  
ctis ſudoriferis interpoſitiſque laxan-  
tibus, præfertim inter initia expu-  
gnari ſinat.

## O B S E R V A T I O IV.

**N**obilis quidam māti, & ve-  
lues <sup>re-</sup>  
neri strenue deditus, viginti, <sup>nere</sup>  
& sex annos natus, post immānes <sup>cum ver-</sup>  
pedum, capitū, omniumque ar-<sup>mibus</sup>  
tuum dolores, in crure utroque tu-  
cata. <sup>compli-</sup>  
berculis obſidebatur ſquamofis, &  
pruriginofis. Commendabantur a-  
quæ ſalſæ, quibus per duo de vi-  
ginti dies epotis infinita aſcaridum  
copia per alvum primo exterminaba-  
tur, & mox venereæ pufſulæ non  
modo in facie, ſed in manib⁹ quo-  
que, & pedibus expellebantur: unde ſepotis his aquis mercuriale re-  
medium, ex conſerva roſarum, the-  
riaca, & turpetho minerali compo-  
ſitum offerebatur, quo ter adſumto  
magna oriebatur diarrhoea, & vo-  
mitio cum ingenti virium jaſtu-  
ra. Lactis quidem, & diaſcordii  
Fracaſtorei uſu dejectiones ille feliciter cohiebantur, ſed dolores ac  
pufſulæ fixius inhærebant. Quare  
denuo dabatur electuarium modo  
di-

dictum, eo quidem effectu ut sat larga promeveretur salivatio, cum oris fauicumque exulceratione, teterimum fætorem spirante. Gargarisma alioquin efficacissimum ulteriore ulcerum progressum vix poterat retardare, ut potius hæc latius serpendo interiora fauicum depascerent, dentesque male hærentes ex alveolis suis deturbarent. Tandem ad decocta lignorum temperatiora, quæ etiam papaveracea habebant, deve niebatur, quibus in maxima quotidie copia adsumtis, simulque laxantibus, ad divertendum salivæ fluxum, interpositis æger tandem Dei gratia exoptata reddebatur sanitati.

## EPICRISIS.

Exhibut hic casus plura, tum ad penitus cognoscendam morbi indolem, tum ad curam rite instruendam necessaria, quæ jam paucis expenditure libet. Inprimis autem notatu per quam dignum est, quod verminosa progenies lubentissime morbo nostro adsoletur, non aliam ob causam, quam quia ex putredinosa humorum corruptione, quæ in venerea lue admodum graviter peccat, seminium illud verminosum facile generatur. Jam quidem ad ingratos hosce hospites ex intestinorum latebris efficiendos, aquis falsis nihil est præsentius. At vero, sicut falsedo, seu rectius falsa humorum acrimonia venereum virus in scorbuticis corporibus valde acuit atque exasperat; ita etiam in præsenti ægroto aquæ falsæ potus minime fuit utilis, sed potius noxius: siquidem inde non modo pustulæ magis rodentes sunt expulsæ, sed postea quoque, mercuriali remedio superingesto, copiosæ per os & alvum dejectiones cum summa virium atonia excitatae. Ea enim medicamentorum, ex hydrargo paratorum est indoles, ut saluum connubium minus amice ineant, sed facile corrosivam, & virulentam adsumtant naturam: quare

Hoff. Syſt. T. IV. P. 5.

omnes scorbutici, & quorum prima regio falsis, & acidis scatet succis, ferio cavere debent mercurialia, nisi fævissima incurrire velint symptoma. Quod tandem ad plenariam hujus mali sanationem attinet, rectissime hæc decoctis humectantibus & papaveraceis, magna in copia hau stis fuit peracta; siquidem hæcce remedia rodentem humorum acrimoniæ demulcendo, & per congrua emunctoria expellendo, non modo symptomatum atrociam egregie mitigarunt, sed causam quoque sustulerunt felicissime.

## OBSERVATIO V.

**V**ir triginta annorum, constituti onis tenoris, & macilenta, venera per sat longum temporis spatiū de magna virium imbecillitate corporis que ad motum subeundum impotentia, de tussi, respirandi difficultate, & acerbis artuum ipsorumque ossium cruciatibus, noctu præsertim auctioribus conquerebatur, pituitam ex ore efficiens copiosam, & mucidam. Satis cito consulebatur medicus, qui phthisicam pulmonum labem suspiciens præmissa venæ sectione multa pectoralia, decocta ex lignis temperatoriis cum anodynīs mixta, laxantia quoque, & alia demulcentia propinabat, sed sine ullo subsequente letiori effectu. Accedente demum molestissima raucedine, pluribusque pustulis ulcerosis facie, & capite ef florescentibus, primum venereæ malignitatis indicium aderat; & facta inquisitione deprehendebatur, ægrum jam per triennium gonorrhœa, a scorto infami contracta laborasse, eamque demum cohabitam virulentæ vestigia in sanguinis, & humorū massa reliquisse. Quod quum animadverteretur, ad extirpandum hoc virus mercurius dulcificatus ad aliquot grana cum rosarum conserva per aliquot dies, interposito largiori decoctorum usu, offerebatur; unde

G 3 qui-

quidem alui fluxus proritabatur sat copiosus, hoc autem per convenientia remedia sedato, sua sponte ptyalismus quatuor hebdomadum subsequebatur, quem secundum vires ægrotantis ita moderare studebamus, ut sensim paullatimque graviora illa cum metu phthiseos stipata symptomata feliciter exspirarent, ægro plenissime restituto.

## EPICRISIS.

Ex præfata morbi historia paulo clarius elucescit, reliquias gonorrhœæ, præsertim male curatæ, diutius in sanguine posse hospitari, admodumque varium morbi schema exhibere, ante quam a medico cognoscatur. Si quando igitur in artis exercitio talis medenti morbus obvenit, cuius originem, & generandi modum non satis valet perpicere, juvat omnino ad luis venereæ virus animum mentemque interdum adverteare, præsertim si symptomata quædam huic morbo communia adsint, quæ suspicionem pariant. Quod ubi minus observatur, mctus est, ne ea adhibeamus remedia, quæ causæ morbi adversa miseris ægrotos in majus præcipitant periculum.

2) Discimus, mercurium dulcem, in minori etiam dosi oblatum, sæpe effectum edere præstantissimum, idque eo magis, si serum adlit copiosum, & fluxile, quod perfacile in motum cietur. Quoniam vero de interna humorum constitutione ac crassi non satis adeo certe, & determinate judicare medico licet, semper minori mercurii dosi salivationis curam inchoare, & per gradus ad majorem ascendere, quam statim inter initia fortiori impetu uti, præstat. Accedit magna naturarum, ratione roboris, & imbecillitatis, differentia, quæ sicut omnium medicamentorum, ita etiam mercurialium diversam requirit dosin, eamque, ut tūtius procedamus, initio semper minorem. Luculentio possunt esse testimonio vel sola purgantia, quæ in magna etiam por-

tione exhibita, nonnullos parum commovent, alios e contrario ita enervant, ut inde gravissime, vel cum vita periculo ægrotent.

## OBSERVATIO VI.

I Uvenis, viginti annorum, sanus & <sup>Varia luis</sup> vegetus, ex impuro concubitu gonorrhœæ incidebat virulentam, <sup>sympo-</sup> <sup>mata cum</sup> quam parum æstimans non modo il-pertinaci licita venere, sed & aliis in diæta colli <sup>more.</sup> commissis erroribus ita depravabat, ut exacto quatuor mensium spatio tumöribus inguinum, quos bubones dicunt, cancrosis penis ulceribus, & variis tam penem quam anum obsidentibus afficeretur condylomatibus. Adhibebantur remedia gonorrhœæ dicata, & aperto bubone æger per decem integras hebdomades decocto utebatur purificante, quod tum potus loco, tum mane in lecto calide sub regimine diaphoretico, una cum tinctura antimonii acri, essentia pimpinellæ, & succini bibere debebat. Præter hæc, quinto quovis die dabatur pilula mercurio dulci vigoratæ, & hac quidem ratione condylomata sensim marcescebant, ulcera cancriformia, & bubo consolidabantur: sed neglecto accuratori vitæ regimine æger per totum corporis ambitum scabie suffundebatur vcrea, quæ cum molestissimis brachiorum pedumque cruciatibus, & nocturno capitilis dolore stipata magnam figebat cruncem. Jungebatur simul tumor glandularum collis sat pertinax, fauces ulcusculis obsidebant ardentibus, & dolentibus, ipsique oculi lippitudine deformati rodentem, & acrem fundebant lympham. Unicum itaque auxilium, præter decocta radicum, & lignorum tam saturatiora, quam temperata, in salivatione videbatur repositum, quam ita instituendam curavimus, ut a tribus mercurii dulcis granis cum lapidibus cancerorum oblatis ad scrupulum prope unum paulatim adsendendo, ptyalismus quinque hebdomadum excitaretur tam co-

pi-

piosus, qui per priores tres septimanas intra nycthemeron tres vel quatuor mensuras aquabat. Saliva, ut fieri solet, cicicabatur viscida eaque fætidissima, donec magis magisque limpidior, & fectoris expers profueret, & subjunctionis in fine laxantibus orisque collutionibus cum gargarismate, quod radicem tormentill. flores rotularum rubr. herbam salviæ, folia myrti, & rob. diamoron, papaverisque rhoeados habebat, penitus cessaret. His ex voto peractis pustulae venereæ evanescabant, & lancinantes capitum artuumque dolores exspirabant remanente oculorum lippitudine, & insigni glandularum colli tumore, quem frustra adhibitis per unum alterumve mensem externis discutientibus tandem scalpello incidere consultum ducebamus; unde primo gryfea, dein purulenta effluget materia. Ad vulnus inflatum a sordibus repurgandum commendavimus essentiam myrræ, & aloes cum balsamo Peruviano applicandam, imposito exterius emplastro Barbette saponato, & bene camphorato, cum oleo hyoscyami malaxato: qua methodo interjectis aliquot hebdomadibus æger a molestissimo hoc affectu liberatus nunc exoptata gaudet valetudine.

## EPICRISIS.

Fidem prope omnem superare videatur, qua ratione miser ægrotus tantam symptomatum, se una quasi serie excipientium catervam sine vitæ periculo perferre potuerit. Sed me judice, vera hujus rei ratio derivanda est a validiori ægrotantis natura, quæ non modo graviora rectæ valetudinis incommoda facilius toleravit, verum etiam medicamentorum energiam insigniter adjuvit, ut opinione celerius sanitas fuerit recuperata. Interim ex diri hujus morbi decursu, & feliciori eventu addiscere licet, multa sæpe in arte medica evenire salutaria, quæ

desperata habueramus; admodumque felicem esse illum medicum, cuius curæ ægroti robustiores, & necessariis ad morbum superandum viribus instructi commendantur.

## OBSERVATIO VII.

**J**Uvenis erat viginti annorum, qui, ut ipse prætexebat, ex pollutionibus nocturnis, vel, ut rectius augurari licet, ex impuro amplexu sat magnum accipiebat tumorem testiculi dextri, cum rubore, & dolore stipatum. Dissimulabat primo æger non levi fui damno hoc mali genus, sed accendentibus in scroto ambitu octo ulcusculis superficialibus, fætidum ichorem plorantibus, virum chirurgiæ peritiissimum confulebat, qui, peracta corporis cum pilulis mercurialibus aliquoties sumtis purgatione, decocta ordinabat saturatiora, cum tinctura antimonii acri mane calide haurienda; externe vero cataplasmata ex speciebus refolventibus, & emollientibus parata in lacte cocta crebrini applicanda, tam felici successu, ut intra quatuordecim dies non modo testiculus magnitudine decresceret, sed & ulcuscula, scrotum obsidientia ex voto consolidarentur, relicta tantum aliqua duritie, & intumescentia, quam emplastro de ranis cum quadruplo mercurii mixto sensim paullatimque abigebat. Elapsis aliquot mensibus hic molestus testiculi tumor redibat, quem alius chirurgus variistam externis quam internis remedii per sex hebdomades sanare tentaverat; sed ausu plane frustraneo. Siquidem jam tumor mirum expansus in peripheria aliquot ulnas æquabat, & vasa utriusque lateris spermatica ad duos pollices inflata conspiciebantur. Ego consultus tumorem probe visitabam, qui speciem herniæ, quam sarcocelen nominant, referebat; unde mox pristinum chirurgum, arte sua non incelebrem accersendum curabam, qui ex meo consilio interne

Tumor  
testiculum  
pertinentissimus.

decoctum anti-venereum bene saturatum, exterius sacculos discutientes, probe camphoratos in forma sicca adhibebat, cum insigni ægrotantis levamine, & tumoris diminutione. At vero, quum mali pertinacia mitioribus hisce remediis penitus cedere renueret, non abs re fore putabam lenem salivationem cum mercurio excitandam. Quo fine præmissa purgatione, per quinque dies plantæ pedum, & testiculi cum unguento mercuriali fortiter il-lineabantur: & enī sexto die prodibat saliva, cuius fluxus per mentem ita moderabatur, ut non tantum va-sa seminalia ad naturalem crassitatem redirent, verum etiam testiculorum tumor remitteret. Ne tamen in loco hoc debilitate facile nova fieret humorum stagnatio, & ut tumoris reliquiae penitus abigerentur, suasoreram, ut emplastrum Barbette sapo-natum, & bene camphoratum per tempus adhuc gestaretur. Atque hac ratione æger a vexatissimo hoc malo imposterum liber remansit.

## EPICRISIS.

Mirum profecto est, quantum te-sticulus sic dictus venereus, & me-denti, & ægrotanti facillat nego-tii, si in tales incident, qui magna viscidorum, & difficulter mobilium succorum copia scatent. Sicut autem varia celerioris sanationis sunt im-pedimenta; ita, me judice, hæc præcipua sunt, quæ ex ipsa parti structura pendent. Tam enim angusti sunt, & in ductus mirum con-tortos, & anfractuosos abeunt in-numeri testiculorum cunaliculos, ut nonnisi tenuissimam, & delibatis-simam lymphæ partem, quæ seminis nomine insignitur, secernere possint. Quam primum vero a succo cras-siori descenduntur, amissio robore suo facile scirrhosam labem contra-hunt, quæ postea difficulter cura-tur; maxime cum ob declivorem te-

sticulorum situm valde difficultis sit humorum regressus, qui per se nun-quam fere non variij generis stagnationibus ansam præbet largissimam. Si curationem spectamus, discere inde licet, quod sœpe ptyalismus, ma-xime per mercurii inunctionem ex-citatus insignem hos tumores discutiendi habeat potentiam: imo interdum a sola scrota cum mercuriali unguento inunctione ego tales tu-mores feliciter scio discussos, quos nec validissima alia remedia, nec ipse mercurius interne datus unquam potuissent resolvere. Hæc scribenti in memoriam incidit casus, ubi rau-cedinem venereum, cum tumore glandularum colli complicatam so-la inunctione plantarum pedum mer-curiali ex voto sustulit, postquam antea innumera remediorum genera-rrito effectu fuerunt adhibita.

## CAPUT V.

De pustulosis, & pruriginosis variij generis affectibus cutis.

## THESES PATHOLOGICÆ.

## §. I.

**Q**uum ordinis ratio postulet, ut Institu nunc de pustulosis, & pruri-ginosis cutaneis affectionibus dicamus, quæ pruritu, dolore, ardore, inflammatione, & exulceratione, variisque generis symptomatibus molestæ, a fero impuro acri, inter va-scula exhalantia & nerveo-tendino-fas cutis fibrillas stagnante, easque erodente oriuntur; statim in limine hujus tractationis monendum esse du-cimus, singula hæc cutis vitia pro diversa materiæ peccantis acrimoniam, & pro differente subcutaneæ læsionis gradu, admodum varia sortiri nomina; dum scabies humida, & sicca, ferina, & maligna, venerea, psora, serpigo, lepra, & impetigo, elephantiæ, herpes miliaris, &

Exedens, tinea capitis, gutta rosacea &c. denominantur, quæ jam breviter stricte explicabimus.

## §. II.

*Descri-*  
*ptio scabi-*  
*ei be-*  
*plana.* Mitissimus harum affectionum gradus est benigna tam humida, quam siccæ scabies, quæ in artubus potissimum inter initia proveniens sensim paullatimque ad reliquas corporis partes, capite tantum excepto, transmigrat. In humida quidem, quæ infantibus maxime, & pueris, sanguineo-phlegmaticis, & habitu corporis spongioso præditis infesta est, pustulæ magis humore turgent sanoïo purulento, atque major jungitur inflammatio, quæ ex circulo ambiente rubicundo manifesta in suppurationem abit: quo etiam ulcuscula illa capitis manantia, sive achoræ infantum, jure debent referri. In siccæ autem, quam potissimum malcenti, senes, & qui temperamento pollent melancholico-cholerico, experiuntur, minoris molis pustulæ, paucō ichore seroso sunt referentes, quæ tenuissimas nervorum fibrillas sub cuticula irritando, ardorem, & pruritum inferunt fere intollerabilem.

## §. III.

*Impeti-*  
*gnis.* Sicca scabies quando squamosa atque crustosa est, & post cuticulæ, vel escharæ abrasionem stigmata sub cute cruenta relinquens, accidente calore dolorificum, & vix tolerandum adfert pruritum, & difficillime sanatur, vel sanata ex facili revertitur, impetigo appellatur, sive scabies ferina, quæ scorbuticis maxime, & cacoehymia serosa laborantibus est familiaris, & si in majori est gradu, psora leprosa vocatur: de quo affectu legi potest BARBETTE in sua chirurgia lib. I. cap. VIII. & Wepferus observ. 214. Atque in pessimo hoc morbo caput etiam særissime male adficitur, crusta que circum circa obducitur, ne facie quidem, labris, manibus exceptis. Præterea, tota cutis ulcerosa

saniem profundit serosam corrosivam, cuticula abscedit continuo, ut frustra arida sine negotio detrahantur, cute subiecta obscure rubra, madorem acrem plorante; unde foetor adeat, & ægri ciborum valde adpetentes de intensa siti conqueruntur.

## §. IV.

Quodsi hæc scabiei species gonorrhœam, bubones aliaque genitalium vitia excipiens non modo universum corpus, sed potissimum etiam faciem occupat, atque nodos, & tophos in variis corporis partibus comites habet, & si dolores, qui sociantur, rodentes, terebrantes, & acres quasi morsus inducentes noctu exacerbantur, venerea dicitur, & maligna.

## §. V.

Herpes miliaris, dum serpendo se propagat, nonnullis serpigo audit, & cutis tantum superficiem certis in locis, ut sunt pedes, femora, manus, scrotum, perinæum, &c. occupans, multas exiguis in cute eminentias, seu pustulas parvas pruriginosas, milii feminis magnitudinem adæquantes sine humiditate excitat, quæ squamulis depositis evanescunt quidem, sed certis temporum periodis facile in iisdem locis recurrunt. Interdum quoque caput ipsum a tali herpete infestatur; sicut testis est HELWIGIUS in observ. pbisico-meditis obs. 38. Referri hoc debet porriginis species, senibus maxime familiaris, quæ sine pustulis, & papulis pruritu fere intollerabili cutini occupat, & perpetuum scalptum cum digitorum unguibus expedit: quandoque etiam pubem scrotumque seorsim obsidet, interdum intestini recti exitum, praesertim quando hemorrhoides vitio ætatis, aut errore quadam cessare incipiunt.

## §. VI.

Herpes exedens, qui absolute herpes ab HIPPOCRATE, a CELENTENSIO autem lib. V. cap. 28. sacer ignis

nominatur, nec erysipelati ulceroſo diſſimilis eſt, totam cutim ad ſuppoſitam uſque carnem ulcere exedit, & in ſquamas nunc crassiores, nunc te-nuiiores, maxime etiam circa pilofas capitis partes reſolvit; evanescens au-tem duros in membro adfecto tumo-res relinquit.

## §. VII.

*... Zona ignea.* Quando autem herpes mali moris pectus ſpeciatim, & præcordia occu-pat cum cardialgia, calore præterna-turali, pruritu, cutis inflammatio-ne, & dolorifica exulceratione, pu-stulisque parvis, & lucidis instar cinguli ad manus latitudinem in pecto-re diſperſis, adfectus vocatur *Zona ignea*. Vid. *Marcus Aurel. SEVERINI lib. IV. de abſceſſib⁹ cap. IX.* *Nicol. TULPIUS lib. III. SCHULZIUS, ann. III. Epbem. obſ. IV.* qui lethalem vidit, & *Jo: LANGIUS*, qui ex ulcere cruris intempeſtive con-solidato ſubortam annotavit.

## §. VIII.

*... ele-phantiasis.* Scabies cruftosa, & ſquamofa, quæ pedes maxime ad genua uſque invadit, elephantiasis nomine a qui-busdam inſignitur, dum pedes instar ſaccorum tumidi ſunt, ſuper quos cruf-tæ ſat latæ eminent, quæ abrasæ ſtig-mata relinquent rubiginofa, pruritu & ingenti vellicatione moleſta, ipiſumque humorem fundentia, qui mox in novas ſquamas, & cruftas condensatur. Vera autem lepra Ara-bum, ſive elephantiasis Græcorum morbus longe abominabilis eſt, cu-jus deſcriptionem optime tradidit ARETÆUS lib. IV. cap. XIII. & CELSUS lib. III. cap. XXV. in hunc modum: *ignotus autem pene in Ita-lia, frequentiſſimus in quibusdam re-gionibus is morbus eſt, quem etiā car-nis Graci vocant; iſque longis an-numeratur.* Quo totum corpus affec-tur ita, ut oſſa quoque vitiari di-

cantur. Summa pars corporis cerebra-maculas cerebroſque tumores habet, & rubedo earum paullatim in atrum colorē convertitur. Summa cutis inaequaliter crassa, tenuis, dura, mollisque quaſi ſquamis quibusdam exasperatur, corpus emacrescit; os, ſura, pedes intumeſcent. Ubi vetus morbus eſt, digiti in manibus pedi-busque ſub tumore conduntur, febri-cula oritur, qua facile tot malis ob-rutum hominem conſumit.

## §. IX.

A ſcabie, & lepra plane diſſert ad-fectus iſte ulceroſus, dum videlicet *... morbi Lazarī.* uleera ſordida muſculosas potiſſimum partes, ut dorſum, brachia, femora, ſuras, lumbos occupantia, putridam plorant ſaniem, & mox in altero membro re crudelisunt, mox in alte-ro adoleſcent, multos ſæpe annos diu-rando. Atque tale morbi genus plebeiiſ, mendicis, & infimæ fortis hominibus, qui impuro vita genere utuntur, in primis ſolet eſſe familiare, quo morbo etiam Lazarum labo-raffe multi ex medicis criticis adſerunt. Sæpius etiam complicantur ver-mes, qui ulceribus inſigni multitudine innidulantur, ut nullis fere re-mediis deleri queant.

## §. X.

Omnis hi ſubentanei pustulosi ad-fectus contagio maxime ſerpunt, & inficiunt; ideoque facile per concu-bitum, per lectos, per indusia, ſœ-do pingui ſudore imbuta, maximè vero omnium per pelles animalium, & veſtimenta ex lana contexta, pro-pagantur. Lana enim aptiſſimum eſt medium, quod ob raritatē laxam atque poroſam impuras iſtas exhalan-tes particulas potest absorbere, & diu-tius retinere, ne mox in aurā diſper-gantur. Sicut enim odores, a quo-cunque etiam fragrante emiſſi, lin-teaminibus, chirotecīs, & veſtibus diu-

diu inhærent; ita quoque in morbis contagiosis, ut peste, variolis, morbillis, petechiis, &c. effluvia putrida, quæ fermenti vicem obtinent, rebus istis porosis, præfertim ex lana confectis, altius sese insinuando, per longum temporis intervallum, sepe delitescunt, prius quam infectionis potentiam exferant.

## §. XII.

Quod si subjecta harum cutis adfectionum consideramus, infantes maxime, & pueri, ut variolis, morbillis, achoribus capitis, & omnis generis cutis defæcationibus; ita etiam in primis scabiosis, & pustulosis adfectionibus sunt obnoxii, non tantum propter mollem, & spongiosam solidorum partium substantiam, & imbecilliores transpirationem, sed potissimum hanc ob rationem, quia ob desideri mulierum gravidarum vitam & digestionis imbecillitatem, succi, quibus adhuc in utero nutriuntur infantes, minus sunt temperati, sed impuri: unde non mirum est, tenera etiam infantum corpora sordibus conspurcari, & superfluis vitiosis redundare humoribus; qui quum longo post tempore ex adversa aeris constitutione, vel virtute seminii contagious, aliisque ex causis in motum fermentativum adiunguntur, innumera mala carent, atque in primis externas corporis partes variis exanthematicis deturpant.

## §. XIII.

Hæc scribenti in memoriam venit communis illa traditio, achores, tiliis, & neamque capitis, & scabiem infantes morbillis & pueros a morbillis, & variolis libera. præservare, vel minimum, ut mitiori succedant gradu, efficere. Verum enim vero, si desideraretur, ego multa contraria possem allegare exempla puerorum, tam scabie, quam aliis ulcerosis cutis vitiis laborantium, qui a molestissimis hisce morbis non ita pridem liberati in variolas confluentes, & morbillos mali moris inciderunt: ex quo non adeo obscure licet concludere, quemvis ex pustularibus his morbis peculiarē & quasi specificam vitiosā, & corruptivā materiā habere indolem, quæ sub peculiari pinguedinis involucro delitescit.

## §. XIV.

Cutis ad-  
fectuum  
sedes.

Sedem morborum haec tenus enumeratorum in tubulosa, & ex variis fibris contexta cutis compage, quæ universale corporis emunctorium est, constituendam esse, vel ipsi sensus sati evicunt. Verum enim vero, ut specialius nostram mentem determinemus, nos in hac firmiori sumus sententia, membranam cutis pinguedinosam præcipuam esse sedem ac locum, ubi fomes materiæ impuræ, & corruptæ primario residet, quæ, dum per cutis poros, & tubulos exhalantes libere transpirare nequit, diutius ibi subsistit, & per longiorem hanc moram acrier reddit nerveas cutis fibrillas rodendo; pungendo, & inflammmando, varias pustulas, & papulas ingenerat. Nulla enim in universo corpore, sive solida sive fluida pars est, quæ foetidum vappidumque humorem, salva sua crassi, diutius possit retinere, & occultare, ante quam motu fermentativo per vitiosam quan-dam aeris constitutionem extricis illis, & latebris exsolvatur, & protrudatur, quam ipsa pinguedo, in qua, ut ego quidem arbitror, variolarum, & morbillorum, purpurae, & luis venereæ, aliorumque similium adfectuum seminia per longum tempus abscondita latent. Accedit, quod teste observationum fide, corpora pinguedine multum referta non modo diutius, & gravius cum hisce cutis morbis conflictentur, verum etiam iisdem sanatis facilius in pristinam labem recurrent, aperto indicio, in ipsa pinguedini mali somitem delitescere.

## §. XIV.

**Differen-** Jam reddenda erit ratio, qui fiat, **ria cutis** ut cutis vitia in variis subjectis adeo pender a multum inter se varient. Sed id materia textura gna ex parte, quantum ego quidem cutis secundum assequi possum, a diversa etatis periodus derivandum est. Etenim, quoniam textura cutis ratione etatis valde immutatur, dum alia in puerili, & juvenili, alia in virili, & senili esse solet: inde etiam efficitur, ut pustulosi illi, qui cutem diversimode adfligunt, morbi, aliam atque aliam naturam, & genium induant, variisque modis se exferant. Ex physiologicis enim pro certo adsumendum est, in puerili, & juvenili corpore plures in cuto canaliculos esse minimos, copiosiora etiam in ejus superficie poros, & foraminula biantia, quam in adultis & etate crescente, ubi tubuli magis angustantur, coalescent & solidescunt. Ita in senibus interstitia membranarum cellusosa ut in toto corpore, ita praecipue inter cutim, & subjectas partes humore pingui minus replentur, sed rugae seniles formantur: unde ob pinguedinis defectum vascula exhalantia, & pori cutis contorquentur, curuantur, comprimentur. Quibus suppositis, jam facile reddi poterit ratio, cur in senili etate scabies sicca, serpiginosus cum intolerabili pruritu, herpes miliaris, &c. praecipue sint familiares; contra vero in infantibus, & pueris sanguineo-pituitosis & obesis, ob sepi & pinguedinis copiam, magistales affectiones, quae multum saniei fundunt, proveniant. Accedit, & hoc, quod in juvenili etate, & corporibus junioribus, sanguinei maxime temperamenti, sanguis cum pinguis, chylosi, & nutritivis partibus intime mixtus sit; atque hac ratione materiam, & alimentum non modo sanis corporibus, sed etiam erosis, & corruptis largius prebeat,

quam in senibus scorbuticis, & catcochymicis, quorum sanguis multis particulis salino-sulphureis, & viscidis lentescentibus solet esse repletus.

## §. XV.

Deinde ut sciamus, quam ob rem **Cutis a-** in certis locis certa prodeant exan- **fectus** themata, & in aliis superiora, in **cera a-** aliis truncum magis, & inferiora pe- **tate cer-** tant; silentio non pretermittendum **occu-** esse arbitror, uti plures alios mor- **part-** bos, sic quoque pravas cutis passio- **part-** nes solemini fere modo, & quasi **part-** microcosmica lege secundum etatis differentiam partes invadere. Ita ob- **part-** servamus, in infantili, & puerili etate favos, achores, tineam capitis, ophthalmias purulentas, epiphoras, & serpigines squamosas in fronte, & mento prodeentes, admodum esse frequentes; in juvenili, & virili etatis periodo scabiem, herpetem, aliaque vitia in primis manus, brachia, dorsum occupare; & decrescente demum etatis vigore, seu ingruente senio pruritum in ano, in scroto, & perinæo sentiri, atque pectora, lepram & elephantiasin cum erysipelate pedes ulcerosos reddere. Nolumus in presentiarum notatu digni hujus phænomenai ratione fusius persequi, sed B. L. ad dissertationem nostram de **etatis mutatione**, **morborum causa** & remedio dimi- **timus**, ubi hanc ad rem pertinentia, satis dilucide explicavimus.

## §. XVI.

Tum quoque non sine fructu dis- **Materiæ** quirendum est, unde veniat, ut in **peccati-** diversis subjectis ipse vitiosus hu- **peccati-** mor, qui pruriginosus, & pustulo- **diver-** fos cutis morbos sustinet, tum acri- **sitas uix-** monia, tum glutinositate, & reli- **de?** qua sua consistentia mirum in modum differat. At vero, me judice, hujus rei ratio similiter a diversa **cutis,**

cutis, ejusque toni constitutione dependet. Hinc, ubi spongiosus, molles, & rarus cutis habitus, ut in sanguineis est, major ichoris, fanei & materiae purulentæ quantitas in vesiculis collecta conspicitur, quæ exsiccata in squamas, & crustas abit. Si quidem duplicitis naturæ humor in corte continetur, & secernitur; alter mucosus, qui in spongiosis cellulis corporis reticulati, cuticulae immediate suppositi intercluditur: alter sebaceus, qui ex cutaneis vasculis lacunisque sensim emittitur. Quando igitur nervosæ fibrillæ, quibus cuticula cuti jungitur, ab humore acrlancinantur, & eroduntur, laxata epidermis in vesiculos minores sero falso repletas inflatur, quæ postea in ulcuscula dehiscent. Alter vero res evenire solet in cholericis, compacterioris habitu præditis, & senibus, qui scabie magis sicca, aliisque pustulis, & papulis, vel nulla, vel exigua humiditate plenis adficiuntur; & hi quidem propter largam humoris lentescens progeniem, & tubulorum cutis angustiam, a depresso naturæ robore inductam, quod non modo omnium functionum segnitie, sed & præcipue pulsus tarditate ac debilitate, quæ tardiorem sanguinis, & humorum circuitum demonstrat, abunde satis se exerit.

### §. XVII.

**Causa** His itaque expositis, quæ ad proxima neraliorem cutis morborum tractationem pertinere visa sunt; proximum & acie. nunc est, ut specialius de veris causis agamus. Vera autem, proxima, & immediata horum malorum causa nulla alia est, quam serum impurum, viscidum, & acre, quod in tenuissimis cutis tubulis stagnando, nerveasque fibrillas lancingando, & levem ibi inflammationem producendo, varias rosiones, pustulas, & exulcerationes, efficere, adeoque singulos istos cutaneos morbos cum

omnibus hactenus enumératis symptomatibus, excitare valet. Quam violentæ autem, & virulentæ indolis sit corrupta illa sub cute stagnans materia, vel ex eo satis perspicue apparet, quod omnes fere gravissimi, & lethales tam chronicæ, quam acutæ morbi, iisque potissimum in systemate nervosarum partium radicati materia ejusmodi virulenta ad habitatum corporis propulsâ possint solvi, & eadem contrâ ad interiora repulsa excitari.

### §. XVIII.

Docet hanc veritatem ipsa experientia. Sic enim innumeræ prostant observationes auctorum fide dignissimorum, quæ asthma spasmodicum, arthritidem, podagram, & alia plura mala per solam scabiem soluta, eademque ex scabie suppressâ oborta commemorant. Ita-febrem continuam, cœcitatem, & epilepsiam taliter productam testatur SENNERTUS in paralipom. pag. 176. & SEBIZIUS annotavit feminam scabie laborantem, quæ cingulo adhibito tam enormem linguæ tumorem experta est, ut hæc extra fauces propensa cum metu gangrænae vix ad justam redigi quantitatem potuerit. HAGENDORNIUS cent. I. bistor. IX. & M. N. C. dec. 1. ann. II. obser. 213. suffocationem a scabie retrropulsa ortam docuerunt, & cent. II. mentionem iniiciunt scabiei scorbuticæ, mercuriali unguento tractatæ, quæ in arthritidem desit, & alio tempore guttæ quoque serenæ causa existit. AMATUS LUSITANUS curat. med. cen. II curat. XXXIII. memor est juvenis, qui, quum scabie, universum corpus occupante foedaretur, ex unguento cui arsenicum mixtum erat, se illevit, & in aurora lecto decumbens mortuus a domesticis inventus est. Alterum novit, qui ob similem inunctionem in insaniam devenit, & in alio tubercula

Quod ex  
emplois  
docetur.

cula quædam dicit exorta curatu difficultima. Neque omittenda sunt, quæ HOECHSTETTERUS Dead. VIII. observat. habet: Sartor, inquit, juvenis scabiosus usitatur unguento aliquo mercuriato, non purgato prius corpore, quo malities intro in corpus rejecta pedes ambos a coxendice resolvit, ut immobiles instar paralyticorum deprehenderentur. Solvit alius, dantur lumores pravas preparantia, sed nil bis adjutus convellitur, & stertentem efflat spiritum. Et idem auctor Dec. VIII. casu II. a temeraria pustulosarum affectionum curatione febres nothas, & malignas prodiisse refert.

## §. XIX.

*Et ultius probatur.* Neque minus ego in sensibiliibus subjectis a perverso exscitantium topicorum usu in cutaneis morbis dyspnœam, phthisin appetitus prostrationem, & summas præcordiorum anxietates observavi, imo quoque hydrope anasarcam, & scroti tumores inde subortos novi. Præter hæc vero, nostram de materiæ peccantis qualitate viscida, & acri sententiam melius adhuc confirmat sola venarum in ejusmodi morbis suscepta sectio, qua sanguis tam viscidus, & in coagulum quasi densatus deprehenditur, ut vix possit separari. Idem luculentissime docet notatum digna observatio de effectu retrorsus scabiei noxio, quam celeberrimus hujus nostræ Academiæ Professor SCHULZIUS Vol. I. A. N. C. inservit. Homo videlicet vitam sedentariam a multis annis egerat, scabie humida graviter, & diu vexatus, qua externi remedii usu simul ac semel liberatus mentis mox vacillationem experiebatur: postea sentit, quum nullo studio scabies revocari potuerit, motus hemiplecticos, convulsivos, & sopores. Secto cadavere peritonæum valde crassum cum omento agglutinatum fœdis atro-cœruleis

& lividis striis totum repletum offendit, tæterrimum odorem de se spargens. Intestina flatibus, distenta, & crebris cœruleis exanthematibus reflecta deprehendit, & ventriculum, hepar, lienem, intestinum colon, & duodenum adeo coalita in massam unam, ut nullam eorum partem sine cultro aut dilaceratione distrahere potuerit. Lien magna crassitie, & duritie erat, folliculus felleus crassus, & viscido humore repletus, instar solutionis guttae gummi saturioris.

## §. XX.

Nihil itaque dubii est, quin in cutaneis pathematibus ingens fieri glutinosi, & tenacis impuri, & corrupti abundet copia. At vero, si causas medias, & remotas, ad ejus generationem contribuentes paullo curatius velimus indagare, primo statim se nobis offert robur solidorum debilitatum, & ad satis vegetam contractionem non sufficiens: quo imminuto, sanguinis circulatio, & ab ea pendens fe- & excretio superfluum humorum decrescit, partes fluidæ cum solidis non satis invicem miscentur, & attenuantur, sed successu temporis multum a pristina blanda temperie secedunt. Accedit, quod sub tali imminuto sanguinis motu structura organorum, & viscerum tam sanguificationi quam bonorum succorum secretioni destinatorum, ut sunt hepar, & lien, mirum in modum depravetur: unde vasis, & viuis angustioribus redditis, particulae acres, falsæ, sulphureæ, & viscide minus rite segregatae ipsam sanguinis mixtionem ingrediuntur, eamque impura diatherri, quæ largam nostris morbis materiam suppeditat, inficiunt, contaminant, corruptunt. Atque ideo etiam fieri deprehendimus ut hypochondriaci, scorbutici, & cachectici, qui simili sanguinis, & viscerum labe laborant, in

in varia externæ cutis vitia incur-  
rant. Quæ singula quum non tam  
facile possint emendari, & ad pristinam  
conditionem revocari, simul in  
aprico est ratio, quare non modo  
impeditus sit labor, ejusmodi adse-  
stus, si temporis longinquitate altas  
radices egerint, penitus tollere, ve-  
rum etiam cur semel curati ex facile  
rerudescendo pristinam adornent tra-  
gœdiā.

## §. XXI.

*Cause* Ad tam gravem vero, & sotadicem  
*remota*  
*functio*  
*sanguinis*  
*excre-*  
*tiones*  
*suppres-*  
*tae.*  
  
*aer hu-*  
*midus &*  
*vappi-*  
*dus.*

partium solidarum, ipsorumque vi-  
scerum in nonnullis depravationem  
varia concurrunt causæ; ex quibus  
agmen ducunt suppræsse sanguinis in  
nobiliōri sexu per hæmorrhoides, in  
sequiori per menses, in juvenili at-  
tate per nares excretiones, nec non omis-  
sæ in plethorïcis subjectis consuetæ  
venæfctiones. Etenim, quum sub-  
tali rerum statu, præsertim si lautum  
vivendi genus accesserit, increscens  
sanguinis, & humorum copia tardio-  
rem circulationem, & impeditam suc-  
corum vitalium depurationem effi-  
ciat, non potest non inde sanguis sen-  
sim paullatimque impuritatibus variis  
repleri. Id quod eo magis solet acci-  
dere, ubi saluberrimum transpiratio-  
nis negotium ab aere frigido, humi-  
do, & vappido, noxiisque vaporibus  
repleto retardatur: quare etiam ho-  
mines demissi, & vappidis domici-  
liis inhabitantes, paludibus, & lo-  
cis aquarum inundationi obnoxii ac-  
colentes, item carceribus inclusi, &  
populi ad frigido-humidam septen-  
trionis axem spectantes, præ omni-  
bus alijs tam crebro scabie, & reli-  
quis cutis deturpationibus tentantur.  
Nec aliud quidquam, quam humida  
& inæqualis aeris constitutio, que  
vere & autumno regnat, in culpa  
est, quod his anni conversionibus hi-  
cutis affectus præsertim prodeant,  
vel rerudescant; & quod certis tem-  
poribus majorem pruritum ardorem-

que excitent: sicut M. N. C. Dec.  
III. ann. IX. obs. 205. tale quid cre-  
scente luna factum esse commemo-  
rant. Atmosphæra enim, seu am-  
biens nos aer cutis tonum, & inde  
pendentem transpirationis successum  
vel constringendo, vel relaxando mi-  
rifice moderatur, & sicut bonus, pu-  
rus, & elasticus aer intimam boni  
sanguinis crasim conservat; ita impur-  
us, & vappidus contrarium plane  
effectum exterit. Qua de re optime  
olim cecinit elegantissimus poeta,  
LUCRETIUS lib. VI. vers. 1110.

*Est elephas morbus, qui propter*  
*flumina Nili*  
*Gignitur Ægypto in Media neque*  
*præterea usquam.*

## §. XXII.

Nihil quoque solennius est, quam sub-  
quod subitanæ aeris mutationes, &  
*tanea*  
*suscep-*  
tæ ex puriori leviorique aere  
ad densiore transmigrations varia  
cutis male affectæ pathemata indu-  
cant; licet non negandum sit, quod  
etiam ciborum, aquarum & cerevi-  
siarum mutatio, quæ aliam sanguini-  
schesin inducendo, novas particulas,  
eaque forte colatoriorum diametris  
minus respondentes ingenerat, suum  
conferat symbolum. Hinc ego plu-  
res scio, qui ex Gallia, & regioni-  
bus trans Rhenum fitis, alisque lo-  
cis vitiferis, subtiliori aere donatis,  
ad nostras oras, ubi duriorē, &  
rigidiorem atmosphærā habuerunt,  
protecti, exactis aliquot mensibus  
scabie sunt correpti. Rectissime igitur  
LUCRETIUS loc. cit. multorum  
morborum originem ab aeris muta-  
tione derivat, his verbis:

*Inde aliis alius locus est inimicus*  
*Partibus ac membris varius con-*  
*cinnat id aer:*  
*Prainde, ubi se cælum, quod no-*  
*bis forte alienum*  
*Comovet, atque aer inimicus ser-*  
*pere caput*

Ut

*Ut nebula ac nubes paullatimque  
repit & omne  
Qua graditur conturbat, & immu-  
tare coactat.*

## §. XXIII.

.. mala ciborum res numerari debet mala alimentorum digestio, quæ fit, dum vel bo-  
ni cibi in nimia quantitate devorantur, vel incongrui, ut fere sunt car-  
nes falsæ, infumatae, fuillæ & por-  
cinæ, nimis pingues, dulcia, fru-  
ctus horæ, ut pîsa, fabæ &c. adsu-  
muntur: quo etiam varia potus ge-  
nera, in primis vina acida, cerevisiæ  
austeræ, & ipsæ aquæ impuræ perti-  
nent. Tali enim ratione non possunt  
non multæ cruditates viscidæ, falsæ  
& acres in primis viis accumulari,  
quæ in sanguinem delatae non satis  
intime miscentur, & digeruntur, nec  
per colatoria, in primis per cutis cri-  
brum satis depurantur: unde sanguis,  
ob difficiliorem circuitum, cacochy-  
micus redditur. Idque eo magis eve-  
nit, si præter animi pathemata, ut  
tristitiam, & anxiam sollicitudinem,  
quæ magnam in remorando, & in-  
crassando sanguine potentiam obti-  
nent, etiam vita deles, & sedentaria  
conjugitur: quare etiam textores,  
& sartores foeda scabie manuum, imo  
crurum, & tibiarum crustosâ cum fa-  
cie pallida, & corpore subtumido,  
ob vitæ genus agreste, & motus omis-  
sionem, frequentius laborant.

## §. XXIV.

**Prognos.** Prognosis, quam nunc paucis ex-  
pendere volumus, secundum adfe-  
ctuum varietatem ipsa variat. Et pri-  
mo quidem sciendum est, semper fa-  
cilioris esse sanationis scabiem per  
contagium communicatam, quæ su-  
perficialiter tantum inhærens non  
adeo profunde cutim occupat, quam  
illam, quæ ex indigena sanguinis &  
humorum dyscrasia originem sumit.

Melior quoque, & levior esse solet  
humida scabies, eaque præsertim non  
adeo diffusa, quam sicca pruriginosa:  
siquidem hæc dies noctesque in-  
tolerabiliter fere pruritu ægrotantes fa-  
tigat, & somnum interrumpendo vi-  
res debilitat. Patientia itaque injun-  
genda est, quoniam tanta impuritas  
laticis serosi, acris & lixiviosi non  
tam subito temperari, dilui, corri-  
gi, & blande educi potest. Deinde,  
omnes externi habitus affectiones ad-  
huc recentes faciliori recipiunt sa-  
nationem, quam quidem inveteratae,  
temporisque diurnitate & æ-  
grorum incuria confirmatae: eadem  
que iterum faciliori negotio in junio-  
ribus, ob liberiorem transpirationem,  
quam in ætate provectionibus sanan-  
tur; utpote qui, CELSI effato, longis  
morbis quam maxime patent.  
Quæ ex interna viscerum labore oriun-  
tur cutis vitia, non modo difficil-  
lius, & nonnisi sublata visceris cor-  
ruptela tolluntur, sed facile quoque  
renovantur, & repullulant; mo non-  
nunquam in hecticam, & hydropem  
degenerant. Unde facile judicare li-  
cet, quale ferendum sit præsagium,  
si tales morbi post febres intermit-  
tentenses, variolas, morbillos, & luem  
venereum invadunt. Tum quoque  
omnes subcutanei affectus sunt per-  
tinaciores, si in partibus musculosis  
& pinguedinosis dorsi, brachii, &c.  
parvi noduli ad modum glandula-  
rum exterius invisibles interius pal-  
pabiles, instar cicerum, fabarum,  
& piforum observantur, luculento  
indicio: quod non tam glandulæ  
cutis induratæ, sed quod humor vi-  
scosus in membranis, & cellulis pin-  
guedinosis stagnans causam præbeat.  
Speciatim vero de elephantiasi, quæ  
fere maximus externorum morborum  
gradus est, ARETÆUS lib. VII.  
cap. XIII. sequentem fert prognosin:  
*Omnia conferre simul oportet medi-  
camenta, & vietus rationem & fer-  
ramenta & ignem. Hacque si novo,  
& orienti affectui adhibueris, sanationis  
spes*

*Spes effulget. Sin ad summum sua creationis ascendat, in viscibusque stabili sedeat, insuper et in faciem invadat, tunc de agri salute spes omnino absissa est.* Quandocunque herpetem miliarem, caput infestantem cum odontalgia cephalalgia, & catarrhosis defluxionibus morbilli vel variolae sequuntur, res non sine periculo est; & interdum post mortem spatium in vertice morbosum, denigratum, & spacelatum inventum fuisse novimus. Lepra omni tempore valde contagiosa fuit habita; ideoque leprosos ab hominum consortio segregandos, & exurbibus ad extera loca relegandos censuerunt medici. Ego autem aliquoties, & nuper modo litteratum vidi, qui veris leprosis symptomatis affectus per annum, & ultra cum suis domesticis sine horum noxa versatus est. Altero vero res sese habet in Græcia, ubi hoc morbi genus longe magis est contagiosum: & perplacet mihi ideo AETIUS, qui lib. XIII. cap. XXV. ita scribit: *non absurdum fuit, puerorum gignendorum gratia per rariora intervalla coire; neque in totum contagiosa successiones hujus affectus in omnibus finit.*

## THESES THERAPEUTICÆ.

## §. I.

Veterum **Q**uod ad rectam & securam medicorum in omnino est, antiquissimos artis descendis, nostræ antistites in pluribus cutis affectibus tam rite dignoscendis, quam per sanandis fuisse praestantissimos; idque eo magis, quum duo præcipua mala, lepra, & elephantiasis, quæ maximum quasi gradum morborum cutim infestantium constituant, in ipsorum regionibus frequentius obvenerint, commodamque præbuerint occasionem, non tantum speciales horum malorum characteres pernitius cognoscendi, sed & veras reme-

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

diorum vires melius explorandi, ut nobis jam facile sit, inde ad minores gradus, levioresque cutis morborum species concludere. Ex omnibus autem quam maxime mihi placet, & in primis nostro inservire scopo videtur accuratissimus ille observator, ARETÆUS, qui in aureis suis de medica monumentis multa notata dignissima habet. Quid enim elegantius potest excogitari, quam illa lib. IV. cap. XIII. inserta elephantiasis descriptio, ubi tam graphicè, & ad vivum quasi horrendæ hujus pestis indolem atque decursum depingit, ut clarissime eluceat, totam sanguinis, & humorum massam profus esse viscidam, tenacem, & fere coagulatam, omnemque spiritualem succorū vitalium penitus depresso, ut inde cohibitis salutari bus se- & excretionibus totus homen tenacibus, acribus, & corruptis humoribus sciat.

## §. II.

Atque his causis abigendis hanc **E**lephantiasis proponit medendi methodus: præmissis sanguinis missionibus, lac cum quinta aquæ parte retærum mixtum, ad alvum molliendam, potui dandum, & veratrum, sub quo helleborum album intelligit, alternis diebus vere, & autumno offerendum suadet. Dein, ceu specifica magno in pretio habet dentis elephanti rasuram cum vino dandam, carnemque viperarum vel in pastillos redactam, vel cum squilla, & juscule coctam; imo omnia medicamenta ex viperis parata summopere laudat. Inter externa ea commendat, quæ detergunt, & tumores solvunt, & sapone fordes in balneo abluedas suadet, vel etiam balneum, cui lapathum acutum, & sulphur incoctum fuerit, ceu summum detergens prescribit. Ad tumores axungiam leonis, & ursi, equis portionibus cum sale alcalino

H mix-

mixram; ad acres vero fluxiones mitigandas, & exulcerationes leniendas decoctum foeni græci, & hordei, oleumque rosarum, tum abstergendi, tum madefaciendi fine proponit, & si carnes liveant, prius, quo locus succulentus reddatur, scarificandum jubet. Inter cibos, quos simplices, boni succi, & concoctu faciles esse decet, decoctum brassicæ cum cumini liquamine, in coena staphylinum, five daicum Germanicum, ex mari- nis ostreas, ex pisibus saxatiles, ex avibus perdices, & columbas, ex fructibus horæos, & vina dulcia, &c. summopere commendat. Neque minus rationem habendam statuit in somno, vigiliis, & locis ad domicilium deligidis, & que ac in corporis exercitiis, quæ per cursus, per vocem, & varias corporis conversiones instituere, & citra lassitudinem congruenter intendere jubet. Nec denique reticendum est, ARETÆUM albi hellebori vires in hoc morbo non satis posse dilandare: siquidem illum omnium purgantium efficacissimum dicit potentia, & qualitate non vitiosa, qui per exiguum portionem, & modicam dosin vetustorum morborum omnium, radicibus firmis inhærentium, unicum esset remedium, & ex diffcili respiratione facilem, ex pallido vultu floridum efficeret.

## §. III.

*. & Cel- sum.* Curationem non dissimilem, profligandæ elephantiasi opportunam proponit CELSUS lib. III. cap. 25. Protinus inter initia sanguinis per biduum mitti debet, ant nigro veratro venter solvi. Adhibenda tum, quanta sustineri potest, inedia est, paulum deinde vires restiende, & ducenda alvus: postbac, ubi corpus levatum est, utendum est exercitatione, præcipueque cursu, sudor primum labore ipsius corporis, deinde etiam siccis sudationibus evocandus, frictio adhibenda, moderandumque inter bac, ut

vires conserventur, balneum rarum esse debet: cibus sine pinguis, sine glutinosis, sine instantibus. Vinum præterquam primis diebus recte datur. Corpus contrita plantago, & illeta, tueri optime videtur.

## §. IV.

Ex hisce omnibus probe expensis trutinatisque optime judicare licet, totam medendi methodum omnesque remediorum facultates eo deberre collineare, & quasi conspirare, ut corruptorum, glutinosorum, & acrum humorum massa per sufficien- tem sanguinis missionem, & inedi- am, per purgationes tam leniores, ut lac est, quam per fortiores, ut helleborum, & corpore detraha- tur; deinde, ut congruis alimentis debitaque victus ratione boni, & naturæ amici succi ingenerentur, & denique, ut externis quoque reme- diis detercis, consolidantibus, & exsiccantibus partes a doloribus, tu- moribus, pruritu, & ulceribus libe- rentur. Atque profecto eximiæ laudeque dignæ sunt hæ curandi intentiones, pariter ac propositæ iisdem medelæ: quare non abs re fore con- fido, si veterum insistentes vestigiis non modo elephantiam curare, sed ex hujus quoque curatione mitiores cutaneos morbos, ut scabiem, her- petem, guttam rosaceam, &c. sanare discimus. Quoniam tamen singu- li hi affectus exanthematici, ulce- rosi, & pruriginosi ratione locorum, corporum, & temperamentorum, nec non ratione habitus corporis, & vi- tæ generis multum inter se differunt, atque eruditio hoc seculo ars nostra salutaris efficacioribus instructa est remediis; optime nobis consulturi sumus, quando veterum curandi me- thodum certis limitationibus, & non nullis in nostro climate annotatis cautelis includimus atque perfici- mus.

## §. V.

## §. V.

*Vsus  
Visonis  
in cutis  
affectu-  
bus.  
dica-  
nes  
ato-  
bus.  
..scarifi-  
cationis.  
..sangu-  
lagum.*

Et primo quidem, quod attinet ad pravos humores per varias sanguinis detractiones minuendos, tenendum est, copiam sanguinis venæfectione evacuandi pro differenti ejus redundantia secundum ætates, vires & consuetudines, æstimandam esse. Neque senibus, qui aut ventilationibus sanguinis artificialibus, aut naturalibus adfueverunt, ejusmodi diminutiones penitus sunt dissuaderæ: siquidem cognita nobis sunt exempla senum tam viorum quam mulierum, jam supra octogesimum annum natorum, quibus insigni cum fructu in variis cutis morbis vena fuit incisa, vel naturales sanguinis excretiones per fluxum hæmorrhoidalem cum levamine revocatae. Quod si vero subjecta sunt pinguis corporis que habitu spongiosiori prædicta, ubi plerumque ingens venarum copia, & exilitas deprehenditur, præsentius ego tutiusque esse observavi, sanguinis, & humorum massam per scarificationes, convenienti tempore institutas diminuere, præsertim quando vires, ob morbi diuturnitatem cibique inappetentiam depressæ parciorem desiderarunt depletionem. Neque hoc remedii genus semper sufficit, ubi hypochondriaci, & hæmorrhoidalibus affecti molestiæ ejusmodi morbos incurunt. Sed tum temporis debitam sanguinis vacuationem per sanguisugas ano applicandas tentare & moliri præstat.

## §. VI.

*Cora per  
medium,*

Interdum evenit, ut corpora non nulla, in quibus plethora magis ferosa peccat, quam sanguinea, copiosam sanguinis missionem ægerissime terant. Quare tum aliud mire decet consilium, &, si nimia alimentorum voracitas, ut sèpissime fit, primam mali causam, & origi-

nem dedit, curam per abstinentiam commendare, optimisque regulis adornare. In eo autem quam maxime utilissimæ hujus curæ consistit methodus, ut ægri ab omnibus carnis pinguis, elixis, & glutinosis, ut sunt porcinæ, & bovinæ, a lacticiinis, omnibusque inflantibus, & multum alimoniarum præbentibus abstinentendo, carnis magis assatis, & levioribus, ut sunt avium, perdicium, gallorum, columbarum, &c. paneque bis cocto utantur, interpositis nonnunquam, ad alvi lubricitatem conservandam, vuis majoribus passis, prunis Damascenis coctis, pomis Borittorffianis, & hujus generis aliis lubricantibus. Nonnam tamen nocere solet quævis subitanea victus mutatio, ita instituenda erit hæc inediæ medela, ut ne simul ac semel, sed paullatim potius, & quasi per gradus ægri a pleniori victu ad tenuem, & parciorem descendentes huic sensim sine damno adficiant, eamque pro circumstantiarum ratione per aliquot dies, vel septimanas continuent. Quod monitum haud minus necesse est cura finita, ne subito ad plenum victum denuo ascendamus.

## §. VII.

Præter hæc, sub toto hujus curæ *requisit  
decoctæ.* decursu cerevisiarum potus, alias familiaris debet removeri, substitutis in potus locum sat larga, & sufficiente quantitate decoctis, quæ species humorum depurationi, & edulcorationi inservientes, succisque superfluis exsiccandis, & solidis partibus roborandis accommodatae ingrediuntur, ut sunt temperatiæ quædam expertæ virtutis, & familiarissimi usus radices, chinæ, sarsaparillæ, lapathi acuti, scorzonerae, cichorei, glycyrrizæ, polypodii, cortices ligni sassafras, calcarillæ, cinamomi, viscus querinus, rasura ligni sassafras, santal rubri, & plura

hujus generis alia, quæ pro varia intentione inter se mixta in aqua pura ita decoqui possunt, ut ad specierum unciam unam libræ duæ, sive mensura aquæ recipiatur.

## §. VIII.

<sup>& 2<sup>a</sup></sup>

<sup>xantia.</sup> Sed non parum quoque expedit, ad hanc curam feliciter auspicandam, & perficiendam, ut prius prima regio a vitiisorum humorum colluvie per leniter purgantia liberetur: id quod similiter aliquoties tam durante, quam finita, hac curatione repetendum est. Quo fine optime potiri licet per remedia blande evacuantia, quorum censem merito subeunt infusa cum aqua, & vino facta, quæ ex manna, rhabarbaro, foliis fennæ, cremore tartari, sale catarctico amaro, cassia, herbis fumariorum, epiphymi, radice cicchorei, polypodii, &c. optime possunt parari.

## §. IX.

<sup>Refactarius morbi status postularuntur.</sup> Quodsi vero invalescens, & refractarius morbi status malignitatis suspicionem iniicit, vel in quibusdam emaciantem curam respucere videatur, opera omnino pretium est, tam ex purgantium, quam ex dia-phoreticorum sanguinemque depurantium classe validiora, & efficaciora in usum ducere remedia, ut tenaces vitiosique humores, quibus ipsi viscerum meatus infarcti sunt, & continuum morbo pabulum suppeditatur, eo melius ac citius tam per alvum, quam per omnia corporis emunctoria elicantur. Jam quidem antiquissimi medicinæ parentes, HIPPOCRATES, ARETEUS, GALENU, & ali, ex purgantibus validissima, maximeque helleborum tam album, quam nigrum, colocynthem, & scammonium mirifice hoc fine laudarunt. At vero, quum nostris temporibus efficacia quidem,

sed tutiora sint cognita, non immrito illis dimissis radicem & resinam jalappæ, extractum hellebori nigri, elaterium cum mercurio dulci, vel æthiopæ minerali permixtum, gummi ammoniacum, & ex compositis extractum panchymagogum Crollii pilulari forma commendamus; vel si pulveris forma magis arridet, hic ex aliquot granis resinæ jalappæ cum totidem granis amygdalarum dulcium subactis, & cum æquali mercurii dulcis portione remixtis, addita simul una, & altera olei macis, vel ligni sassafras gutta opportune potest parari.

## §. X.

Ex classe eorum, quæ solidas partes ad motum excretorum stimulando, paulo potentius humores tenaces colliquant, omnibus aliis præferendum est lignum guajacum cum cortice suo; quod sicut recto usu sepiissime lui venereæ penitus eradicandæ vel solum sufficit: ita etiam in tubercaneis affectibus, qui adhuc mitioris sunt naturæ, evellendis non contemnendum est remedium. Præter hoc vero in primis huc referenda sunt medicamenta ex mineralium regno petita, e quibus eminent tinctura antimonii tartarifata & acris, regulus antimonii medicinalis, sulphur antimonii Glauberiana, vel nostra correctum methodo, cinnabaria, &, si venereæ malignitatis suspicio subest, antimonium crudum per coctionem usurpatum: quæ remedia in convenienti dosi, & matutino tempore cum decoctis purificantibus in lecto potandis exhibita, vel aliis diaphoreticis adjecta præstantissimam ferunt opem, dum lympham commovendo, obstruktiones in angustissimis glandularum tubulis existentes referant, adeoque sanguinem, & lympham egregio effectu depurant.

## §. XI.

*In nor-  
nullis  
mercu-  
rialia.*

Licet vero propositæ hæ ad depurandam sanguinis, & humorum massam curationes magnæ sint efficaciaz, & excellentis virtutis: suppetunt tamen casus, & exempla. ut in elephantiasi, & venerea scabie videamus, ubi altius infixa venenatae indolis causa patum inde commodi & emolumenti repetitur, sed validiori adhuc remedio opus est, quo præter argentum vivum, & parata ex eodem medicamina, si vires ægri consentiant, nullum datur potentius, ad pertinacissimos externi habitus morbos vincendos ac debellandos. Siquidem subtilestis ejus particulae intima vasorum penetralia subeundo, & penetrando, impactos iisdem humores viscosos corrigunt, extircent, dissolvunt, & aucta fibrarum in toto corpore vi systaltica, per omnis generis emunctoria, alvum, sudorem, & præcipue per glandulas, & ductus salivales, mediante salivæ copiosiori fluxu efficiunt. Atque hac solenni, & quasi universali evacuatione solet contingere, ut omnis impurorum humorum faburra brevi tempore, licet cum molestia quadam eliminetur, toto inde corpore repurgato, & quasi renato.

## §. XII.

*Modus  
adhibe-  
di mer-  
curialis.*

Sunt autem variæ a medicis hactenus propositi mercurium adhibendi modi, quos jam paucis perlustrabimus. Ita sunt alii, qui ex mercurio vivo cum unguento pomadino probe subacto, additis floribus sulphuris, & camphora unguentum consciunt, quocum articuli, malleoli, genua, cubiti ipsæque pedum plantæ, ad salivationem movendam, fortiter fricantur. Alii vero tutiorem, & meliorem eligunt usum internum, dum præparato prius per alteran-

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

tia, temperantia, & evacuantia corpore, mercurius dulcis rite præparatus cum dupla quantitate lapidum cancerorum, & antimonii diaphoretici permixtus a granis tribus vel quatuor ad scrupulum usque, indies paullatim adscendendo, offertur: unde sat largus salivæ fluxus prioritatur, quem sub debito regimine, & cautelis, interpositis simul decoctis sanguinem depurantibus, per unam alteramue septimanam perferre decet. Huc quoque ex mercurialium familia scopo alterante, & diaphoretico spectant mercurius solaris, & jovialis, cuius aliquot grana cum rosarum conserva remixta per hebdomades nonnullas matutino tempore cum fructu deglutiuntur, superbibendo postea in lecto sub diaphoretico regimine decocti libram circiter unam. Sed sciendum est, ut singulæ hæ curationis species aetem probe temperatum, & diætam parcam, tenuem, omniumque carnium pingujum, coctarum vel acidorum expertem desiderent.

## §. XIII.

Non raro autem incidit, ut longe mitius leniusque procedendum laetis cura quando necessa ria?

Quando enim ætas est infantilis vel senilis, corporisque, & vi- rium robur debilitatum, vel nervorum sistema nimia sensibilitate præditum; item si corpus magis exfuc- cum, & macilentum, quam pingue, & laxum deprehenditur, vel si humorum acrimonia, & mordacitas magis, quam crassities, & visci- da tenacitas delinquit, tum prorsus alia in medendo via incunda est; atque in tali morbi statu non solum antiquissimi, sed omnes etiam sapien- tiores nostri ævi medici lacticinia,

H 3 & in-

& in primis lac asinum, serum lactis bubuli, & caprini, lac cum aqua mixtum non satis laudibus possunt extollere. Ita præter HIPPOCRATEM, CELSUM & ARETÆUM, qui insignem lacti virtutem in scriptis suis tribuunt, maxime DIOSCORIDES lib. II. cap. 75. curam cum lacte convenienter institutam utilissimam censet in superficie corporis molesta prurigine, in maculis, & facto ibi vitiosorum humorum debitu: seorsim vero lib. cit. serum lactis ad cutaneos affectus his verbis commendat: datur (lactis serum) illis, quibus sine rebementia dejectiones molimur adversus lepram, elephantiasin & efflorescentias per totum corporis habitum erumpentes. Et profecto, eximiæ sunt hujus diæteti ci remedii vires: siquidem non tantum crassos, viscidos, & ferme coagulatos humores diluit, & fluxiles reddit, meatus viscerum obstructos referat, & acrem humorum saltem contemperando partes sicciores humectat constrictasque relaxat; verum etiam per urinam & alvum noxiros humores placide educit, expellit, evacuat.

#### §. XIV.

...quomo-  
do sit in-  
firme-  
da. Quoniam tamen non parum inter- est, ut tuni quantitas, tum justum tempus bibendi lactis ejusque teri determinetur, optime nobis consulemus, si veteres in eo duces eligamus & sequamur. Ex his autem princeps & quasi antesignanus est ipse HIPPOCRATES, qui in lib. epidem. VII. lac asinum, vel lactis, in primis caprini serum per plures dies bibere præcipit: & lib. IX. de intern. affect. lac per quadraginta, & quinque dies, tertia aquæ multæ parte addita se propinasse refert. Serum lactis per mentes, & ultra adsumi posse, testes sunt gravissimi SYLVATICUS atque RIVERIUS, qui eodem in gravissimis affectibus ad XII.

XX. & XL. dies summo cum emolumento usi, plurimi sunt in commendando ejus potu. Nec aliter sentit doctissimus HUGENIUS epistol. & consultat. medic. Tom. II. lib. I. qui ad magnum, & antiquum totius corporis pruritum mitigandum seri lactis in majori quantitate potum ita suadet: qui exiguam illius quantitatem potant, frustrantur fine alterationis, & expurgationis. Sit quantitas usque ad libras octo, & ultra. Et lib. citat. tom. I lib. XII. epist. 1. se consueisse adserit serum hoc dare, quemadmodum aquas solerent medicatas offerre. Ita e. g. primo die exhibit libras sex cum syrupi rosarum solutivi uncis tribus, sequenti die simplex dat serum, & dominum successively augendo usque ad libras IX vel X. per viginti continuos dies pergit.

#### §. XV.

Quandocunque exanthematici hi usus <sup>ha</sup> morbi a lie scrobutica vel hypo- chondriaca affectione, ut plures dicatis evenit, foventur, & sustentantur, mixti. longe major obtinebitur fructus, quando jam memorata lactis cura ita instituitur, ut ipsa complicatis hilice malis allevandis simul dicata, & idonea sit. Quem finem vix melius licet obtainere, ac si aquæ medicatæ, inque primis acidulæ temperatores, elemento spirituoso, & salino turgidæ, quales sunt Selteranae, Tennensteinentes, Wildungenes, vel etiam Egranæ, cum dimidia vel tertia lactis parte remixta sub exacto vitæ virtusque regimine, & præmissis pariter ac interpositis evacuantibus aliisque medicamentis bibuntur.

#### §. XVI.

Quodsi vero harum aquarum deest <sup>herbis</sup> copia, eodem fine saluberrimum est, purificans cum ipso lacte vel ejus sero, tam dul-

dulci, quam acidulo herbæ sanguinem depurantes dictisque vitiis speciatim dicatae decoquuntur, cuius generis maxime sunt: fumaria, epi-thymum, cuscuta, melissa, scopolendrium, trifolium fibrinum, beccabunga, taraxicum, borrago, endivia, cichoreum, & ejus radix, aliaque plura, quæ partim sale volatili penetrantiori instructa humores vi-scidos incident, & dissolvunt, impuros depurant ac debitum sanguini balsamum restituunt, partim principio amaro balsamico languenti ventriculi digestioni succurrendo, ad boni sanguinis regenerationem egregie faciunt. Neque idcirco illa spe sua frustrantur, qui præparato prius corpore, succi ex modo dictis herbis recentibus, & contusis expressi unciam unam, aut plus cum sero latetis per aliquot septimanas propinant.

## §. XVII.

Vipera-  
rum cu-  
ra. Denum, inter optima graviorum cutis affectionum auxilia refertur etiam viperarum cura, quæ tam apud venerandam antiquitatem, quam apud recentiores medicos est celebratissima, ideoque minime a nobis prætermittenda. Enimvero penes HIPPO-CRATEM, si scripta ejus evoluimus, nullus, quod scio, reperitur locus, quo viperarum usus adstrui possit; verum ARETÆUS, GA-LENUS, ÆTIUS, & ex Arabi-bus RHASES, & AVICENNA, horum animalium virtutes in lepra, elephantiasi, & omnibus a maligna impuritate proficiscentibus cutis vitiis sanandis non satis possunt de-prædicare: quinimo mirabilem totius corporis renovationem inde pro-mittunt. Celebris ille Neronis archiater, ANDROMACHUS tro-chiscos e viperæ paratos pro principli theriacæ suæ, ceu summi ale-xiterii remedii ingrediente constituit: & hos omnes secuti præstantissimi Italiæ, Galliæ & Germaniæ medi-

ci, MERCURIALIS, QUERCE-TANUS, SOLENANDER, BAL-LONIUS, &c. similiter viperis ma-gnas tribuerunt laudes; donec *Julius PALMARIUS*, constantinus me-dicus Parisiensis lib. de morib. con-tagios. cap. IX. veterum in hoc genere promissa, & anilem credulitatem acriter perstrinxit, addito in testi-monium *Joanne FERNELIO*, qui adservit: medicamentis ex viperæ mo-re veterum adparatis, elephantiasi laborantibus adhibitis nullum suble-cutum fuisse salutarem effectum, cum neque viscerum constitutio hoc mo-mo melior facta, nec verrucosa tu-bera, nec increscens cutis deformi-tas fuerit emendata, sed omnia potius symptomata exasperata. Nihilo tamen minus, & fuerunt, & adhuc sunt ex modernis plurimi, iisque clari-ssimi medici, qui veteribus, & longæ famæ fidem habente, peculiarem, & quasi specificam contra cu-taneas defecationes virtutem in vi-peris, & paratis ex iisdem decoctis vel jusculis delitescere sibi pesuadent; eaque propter viperas, magno sè pio sumtu ex Italia conquistas variis modis, ut pulvere, trochiscis, ju-sculis, vel etiam in forma salis vo-latilis chymice extracti sub spe optati-simi effectus propinant.

## §. XVIII.

Ut vero libere, & ingenue hac de re meam profitear sententiam: De ex-nihil certe solidi, quod operæ pre-dictum faceret, auxili ab hisce vi-pe-rinis medicamentis in impuritatibus sanguinis corrigendis peti, & espe-ctari posse, firmiter ego ob plurimas ob-servationes, prægnantibus etiam rationibus confirmatas credo. Ne-que ulla in tot veteranum æque ac re-centiorum scriptis accurata & com-pleta occurrit ob-servatio, ex qua quis specificas, & dictis morbis di-recte oppositas viperarum virtutes certo cognoscere, & adserere possit;

maxime cum alia plerumque medicamenta admixta , vel simul in usum vocata fuerint , quæ effectum valde dubium reddunt . Ita mihi plurima cognita sunt exempla , ubi in atrophia , phthisi , psora leprosa , scabie , tinea capitis , aliquique hujus generis malis varia ex viperis confecta medicamenta vel nihil praestiterunt , vel si quid boni praestitum fuit , id potius aliis admixtis ingredientibus , & conjunctim datis medicamentis in acceptis referri debuit . Si quis itaque effectus salutaris a viperis provenit , certe non aliis est , quam qui a reliquis omnibus animantium partibus siecatis , gelatinoso quodam , blande sulphureo , & vaporoso succo praeditis , exspectari potest : unde excessiva viperarum encomia exigui sunt valoris , quia solo auctoritatis praecidio nituntur . De medicamentis viperinis legi merentur notatu dignissimæ ZVVOELFFERI animadversiones in pharmacopeam Augustanam pag. 211.

### METHODUS MEDENDI SPECIALIS CUM CAUTELIS.

#### S. I.

Cura diff. **Q**uoniam admodum diversa est naturarum , & humorum peccatum causarum cantum constitutio , differre quoque diversi solet ipsa horum affectuum curatio . Ne igitur in quocunque delinquamus , præcipue omnium causæ , quæ induxerunt malum , probe sunt inquirendæ , & distinguendæ . Ita , si ob nimiam voracitatem vitamque desidem humorum abundantia in culpa est , abstinentia , & exercitio ante omnia opus est ; si crudi , viscidii humores , sub temperamento maxime phlegmatico causam suppediant , evacuantia per alvum , mediante infuso vino proficent subiungendo illa , quæ transpirationem leniter movent ; si corpus est pletho-

ricum , & ab omissa sanguinis missione , vel critica sanguinis fluxione cohibita ejusmodi foedæ cutis asperitates , & exulcerationes oriuntur , initium curationis a sanguinis per venæ secessionem vel cucurbitulas detractione facere , eaque subiungere remedia oportet , quæ salutares has excretiones convenienter revocant ; si corpus est juvenile , macilentum , & cholericæ complexionis , plurimum proficent , ceteris paribus , diluentia , acrimoniam temperantia , & depascentem æstum refrigerantia , ut sunt serum lactis , acidulæ cum laete , nitrofa , & per alvum evacuandi scopo potioncs mannatæ : si viscerum , & ventriculi imbecillitas regenerationi succorum impurorum favere animadvertisit , ventriculum roborantia , quæ digestionem adjuvant , insignem ferent opem . Quodsi autem prohibita insensibilis per poros transpiratio , & tubolorum cutis obstructio causa mali præcipua est , infusis theiformibus , leniter diaphoreticis , & frictionibus recludere occlusos pororum hiatus medicum decet .

#### S. II.

Quando per scabiem , & cutis variæ exanthemata chronicæ , & difficiles ægritudines , tanquam per crisis terminantur , maximoperc cavendum est ab omnis generis evacuantibus per alvum , urinam , imo quoque a sanguinis missione , ne ex habitu corporis ad interiora materia virulenta retrahatur . Elegans hanc item locutus existat in Joann. LANGII epist. XVI. Tom. I. Ego scabiem , inquit , & crurum ædemata cum post aliarum febrium , tum præcipue quartana febris crisis oborta sponte exolescere citra omne medicamentorum subsidium plus centies vidi . Quodsi tum pblebotomia facta fuisset , aut pharmaceutum exhibitus , ingens fuisset periculum , ne per eas venas , per quas

ma-

cautelæ  
circæ ex-  
anthemata  
ctica .

materia morbi expulsa fuerit, prorsus ad interna viscera retrabatur.

## §. III.

**E**xpulsio Atque utilissima hæc cautio similitudine exanthematis liter necessaria est, quando natura exanthematum propulsionem salutari modo instituendam molitur, nec sola eidem perficiendæ sufficiens videtur. Si quis enim tum temporis talia vult propinare, quæ impuritates, ad cutim amandandas retinent, vel retroagunt, ut fere sunt paullo largiores sanguinis missiones, quævis purgantia, adstringentia, & in languidioribus subjectis refrigerantia, inque primis nitrosa in maiori spacioque repetita dosi oblata, pessime sane ægrotantium saluti consulet, morbumque benignum in malignum iniquo ausu convertet. Multo magis tum excitandæ sunt naturæ in expellendis impuritatibus vires, & leniter diapnoicis succurrendum, quæ activo quadam sulphureo principio, systalticam fibrosarum nervarumque partium actionem intendendo, celeriore humorum cursum efficiunt, eumque ad extimam corporis superficiem dirigunt, ut hac ratione excrementitiae fordes per cuticularem exhalationem e corporis sphæra eliminentur. Atque hanc fibi viam ipsa natura, quam in medendo ducem sequi debemus, eligit; sicut non modo ex spontaneis, & in largissima spacio copia profluentibus sudoribus, verum etiam exinde satius concludere licet, quod multa habeamus exempla, quæ testantur scabiem aliaque cutis vitia, si præsertim a contagio, vel ex aliis morbi præcedentis reliquiis, ut febribus intermittentibus, & continuis, podagra, colica convulsiva, asthmate, &c. originem sumserunt, sponte subortis vel arte excitatis sudoribus fuisse sublata.

## §. IV.

Splendent autem diapnoica virtute, sanguinemque, & humores simul fluxiores reddunt infusa theiformia, ex herbis scordii, veronicae, scabiosæ, fumariæ, cardui benedicti, floribus sambuci, radice pimpinellæ, & lapathi acuti confecta; quæ largiori in copia hausta in promovenda materiæ malignæ expulsione egregie se gerunt. Huc quoque ex compositis spectant, dictisque infusis vel jungi, vel interponi possunt, mixtura simplex, liquor nostrus anodynus mineralis cum spiritu bezoardico Bussii, & cornu cervi succinato ad tertiam partem remixtus; vel etiam pulveres diaphoretici, ex antimonio diaphoretico, cerussa antimonii, & huic analoga materia Krugneri perlata, additis in refracta dosi antimonio crudo, regulo antimonii medicinali, sulphure stillitio, & ejus floribus, cinnabari, æthiopæ minerali, & hujus census aliis, quorum supra jam in ipsa curativa methodo §. X. mentionem fecimus. Atque tales pulveres vespertino tempore, sicut liquida spirituosa matutino, vel ex aqua, vel ex vehiculo aquæ flor. sambuci, cardui benedicti, fumariæ, scabiosæ, &c. possunt propinari.

## §. V.

Ipsi quidem curationi sociari, & His jun-  
interpolari debent medicamenta diap- ganatur &  
noica, sed sola non sufficiunt; at- interpo-  
que curatio positive diaphoretica, na- natur  
præsertim in fiscioribus subjectis, , decoda tantum abest, ut ad salutem quid- & laxan-  
piam præstet; ut potius malum ex- tia.  
acerbet, & ex simplici prurigine pu-  
stulosum adfectum cum pruritus  
incremento producat. Quæ cum  
ita sint, necessitas omnino po-  
stulare videtur, ut non modo ap-  
propriatos potus, quales sunt in  
cho-

cholericis corporibus decocta temperatoria, & lacticinia, in phlegmaticis laxioribus saturatiora decocta, in sufficiente quantitate haurienda ordinemus; verum etiam remedia primarum viarum suburram evacuantia, & simul visciditatem seri ac lymphæ incidentia, ut sunt pilulæ mercurio dulci vigoratae, vel in debilioribus leniora infusa laxantia prescribamus, eademque post sex vel octo dierum intervallum semper repetamus. Infantibus autem, & pueris scabie vexatis speciatim commendandum est hocce purgans: Recipe pulveis Cornachini scrupulum unum, mercurii dulcis grana octo, syrapi cichorei cum rhabarbaro drachmas duas, aquæ fumariæ unciam dimidiad. M. F. haustus, qui pro ætatis ratione offerendus.

## §. VI.

*Nimis pruritus* maxime si lignorum decocta, & sudorifera accedunt, ad lypothimiam usque augmentatur, quia ichorosi halitus, & salia subtilissima acria horum ope ad habitum corporis majori in copia propellantur. Quod vero si incidit, merito abstinendum est ab omnibus exigitantibus, & potius lac cum aquis herbarum antiscorbuticarum, ut nasturtii aquatici, & tumariæ mixtum, serum lactis vel solum, vel virtute herbarum alterantium impregnatum, nitrofa, emulsiones, & balnea aquæ dulcis debent administrari.

## §. VII.

*In retrocessione exanthematum quid faciemus?* Scabies, & aliae cutis defædationes si ante tempus recedunt, vel externis sulphuratis, mercurialibus, refrigerantibus tractantur, mox pessimorum symptomatum syndrome sollet adornari. In quo casu præterea, quæ superiori loco expellendi fine commendavimus, optime se gerit

mercurius dulcis, alterante magis scopo, quam laxante datus, nec non flores sulphuris ad octo, vel decem grana cum absorbente quodam propinatae; hac tamen adhibita cauta la, ut sub mercurii exhibitione sulphuris usum omittamus: ab utroque autem abstineamus, si febrilis quidpiam, ut saepe fit, concurrit.

## §. VIII.

Licet mercurius specifice quasi fermentescentem scabiosorum adfectuum <sup>Mercu-</sup> <sup>rialium</sup> indolem evertat, & frustra saepe au <sup>lus pro-</sup> <sup>denter</sup> xilium ab aliis remedis speretur, <sup>institu-</sup> nisi id per mercurialia interna obti <sup>endas</sup> neatur; salivatio tamen in morbis his exanthematicis omni cautione suscipienda, & tractanda est, praesertim si corpora sunt cachectica atque scorbutica, in quibus ipsa instituitur. Nisi enim præmissa fuerit debita humorum correctio, & præparatio, salivæ fluxus non modo impeditius succedit cum faucium inflammatione dentiumque casu, & denigratione, verum etiam vomitus, ventris tortina, cardialgiae, diarrhoeæ, dyspnœæ, aliaque plura accedunt incommoda. Quoniam autem nunquam fere non huic medicacioni tonsillarum fauciumque intumescentia, gingivarum relaxatio, & difficilis deglutitio junguntur; fauces præcipue lenientibus ac tonice gargariis matibus sunt præmunendæ, corpus in perpetua diapnoea est conservandum, ex medicamentis omnia calida, & acriora diuretica sunt fugienda, & demum in diætæ victusque regimine frigoris accessus, potus frigidus, omnia acida, falsa, & cruda alimenta, quantum fieri potest, evitanda. Præterea limatori opus est judicio, ne ultra individui salivantis vires medicatio protrahatur, neve ex altera vel medi ci, vel ægrotantis parte effectus prodeat insufficiens, atque fermentum remaneat, quod novum morbi pati-

bulum suppeditet. Quo igitur in utroque casu tuto procedamus, probe debemus considerare molem corporis, temperamentum, durationem morbi, materiae morbosae quantitatem, symptomatumque gravitatem.

### §. IX.

Ad infantibus propter diliquitatem sursum. Infantibus quidem absorbentia sicciora, laxantia, & depurantia tutius adhibentur, quia iisdem nervosum genus debilius esse solet, quamquod mercurialia impune ferre queat; tamen, si dicta mitiora remedia nihil juvant, & scabies maligni est genii, mercurialia etiam sine noxa oblata memini, modo grana mercurii annorum numero attemperentur, & debitum regimen, quod rarius stricte observatur, potest injungi.

### §. X.

Curatio zona, & ulcerum interna. Si herpes praecordia invadit instar zonæ, quod sepius in hypochondriacis, & arthriticis evenit, imo in omni zonæ, & herpetis genere, speciatim diaphoretica fixioris indolis, cum aquis diaconoicis præsidium sunt eximum; ceteris tamen remediis non penitus omissis. Eadem quoque locum obtinent in pertinacibus ulceribus, & abscessibus internis: siquidem hac ratione vitiosi, & acres humores commode alterantur, temperantur, & blande educuntur.

### §. XI.

Externa in variis ad lectibus proficiua. Neque topica sunt prætereunda, quorum conveniens usus in perfecte sanandis cutis descedationibus, & ulcerationibus plurimum confert emolumenti. Quoniam vero diversi affectus alia atque alia postulant remedia, breviter jam strictimque præcipua denominabimus. Quando postulæ humidæ ulceraque manantia exsiccationem, & ob nimiam meatuum cutis laxitatem lenem constrictionem

expetunt, sulphur vivum stillitium, quod exigua tantum mole inunctum cutim coartando, ulteriore excrementorum cutis proventum impedit, ideoque ab antiquissimis, AE-TII, ARETÆI, & ORIBASII temporibus commendationem sibi comparavit, omne prope absolvit punctum, si in oleo lini, aut axungia porcina dissolutum, debitaque quantitate cerussæ, & turæ in unguenti massam redactum adhibetur: licet quoque, ad nimiam humiditatem ablumendam, unguentum de alabastro cum tutia mixtum non minorem præstet utilitatem. Si dolor, rubor, ardor & pruritus juncta sunt, unguentum de cerussa, quod ex solutione lithargyrii cum aceto acri concocta, cerussa, pinguedine porcina conflatur, omnibus aliis videtur præferendum; maxime si eidem flores sulphuris, & aliquot guttulæ olei ligni Rhodii, jucunditatis conciliandæ gratia, adiiciuntur. Ad scabiem sicciam, & valde dolorificam emolliendam, & temperandam, mucilago medii corticis tiliæ cum aqua rosarum extracta, vel etiam cum oleo lini, cerussa, & pauxillo croci, ad imitationem diachyli simplicis in emplastruni redacta, mirabilem exserit efficaciam. Quodsi autem ulcuscula profundiora purificanda sunt, & consolidanda, dicitis unguentis addi potest oleum juciperi, & lauri destillatum, vel balsamum sulphuris cum iisdem oleis, & æthiopæ minerali remixtus adhibetur. Denique non negligendum est unguentum cosmeticum, in omnibus cutis affectibus finita curatione utilissimum, cuius parandi modum infra in observat. VII. docuimus. Præter hæc vero, hue etiam referri merentur nonnullæ antiquiorum medicorum non inepta curationes, atque in primis HIPPOCRATIS, qui lib. epid. II ad impetiginem, & lepram aquam calcis commendat, quam autem ex monito SPONII ita temperatam

ratam esse decet, ut ne magis ulcere. Neque minus mihi semper placuit *Sylvatici* methodus, cent. I. cons. 22. & 3. reperiunda, ubi ille post usum seri lactis caprini, cum succo citri per XV. dies, ad libras duas quotidie sumti, externe unguentum ex sulphure, nitro, mercurio, & oleo amygdalarum dulcium confectum maxime laudat.

## §. XIII.

*Tinea capitis curatio.* Quod speciatim attinet ad capitum tineam externa ope sublevandam, præmissis universalibus cacoehymiam respicientibus, sequens unguentum magnæ solet esse efficacæ. Recipiantur olei vitellor. ovorum uncia una, pulveris pyrii, tabaci, florum sulphuris, anatica portione drachmæ duæ, essentie benzoës, & balsami Peruviani ana uncia dimidia. M. F. unguentum, post cujus inunctionem per aliquot dies continuatam caput lavandum est decocto, quod ex æqualibus partibus vini, & lixivi cum scordio, aristochchia rotunda, musco terrestri, floribus lavendulae, & myrrha coctis potest apparari. His nihil profcientibus, nonnulli interne mercurialia porrigitur, externe mitram ex pice navalii, & balsamo de copaiva conflatam capiti imponunt, sive totum capillitum detrahunt, consolidationem postea cum oleo vitellor. ovor. peragentes. Quando tamen violenta hæc curatio tuto admitti possit, aliis experiundum relinquo, hoc tantum commonefaciens, quod desperatum ejusmodi remedium, nisi in desperatis casibus nunquam sit adhibendum.

## §. XIV.

*Balnearum usus.* Inter externa recensenda etiam sunt balnea, tam naturalia, quam artificialia, quæ ex foia aqua dulci, cum radicibus helenii, enuiae, lapathi, herbis fumariorum, scabiosæ, saponariæ

&c. decocta, peropportene parantur, atque in psora leprosa & elephantiasi, præmissis internis sanguinem purificantibus, tum ad cutis tonum roborandum, tum ad impuras, & squamosas fordes abluedas, insigni cum fructu adhibentur. Nec minorem merentur commendationem balnea, ex scoriis metallicis martialibus, & venereis confecta, quarum illæ de terreo-falina, & sulphurea martis substantia participant; hæ vero sulphure multo, & sale vitriolico turgidae sunt, adeoque in roborando partium fibrofilarum tono insignem exserunt efficaciam. Atque ex hoc fundamento maxime sepe probarunt ejusmodi balnea in morbis cutaneis, a nimia spissitudine, & corruptrione humorum seroso lymphaticorum oriundis, quales sunt: scabies, serpigo, herpes, & achores, &c. sicut hac de re nonnulla existant exempla in dissertatione sub praesidio meo habita de *balnearum artificialium ex scoriis metallicis usu medico*: ubi herpetem malignum pag. 13. scabiem pag. 18. & lepram pag. 20. iisdem sublata diversis exemplis comprobavi. Imo demum huc merito ducenda sunt balnea aquæ dulcis fluviatilis cum furfuribus decoctæ, debitaque lactis recentis admixtione temperata, quæ præsertim in scabie secca, omnibusque affectibus cum insigni cutis aspre-dine juncitis, & speciatim quidem in molestissimo senum pruritu auxilium ferunt præstantissimum.

## §. XV.

Quum nullum prorsus medicamentum, nisi recto usu juvet, plurimumque in omni curatione rite perficienda intersit, quo ordine, & quo tempore remedia administrantur, utilissimus erit labor, si genuinam methodum jam allegatis topicis utendi cum debitissimis cautelis suppeditemus. Probe itaque sciendum est, remedia exter-na tempore postremis esse collocanda, & nra-

*Cautela circa extero-rum obseruantur.*

& nunquam applicanda , nisi tota sanguinis , & humorum massa viſci- da , acris , corrupta debit is internis corridentibus ac depurantibus ad blandiorem temperiem fuerit redacta . Neque facile ſub uiu extēnorū negligere proſuſ decet interna , p̄fertim diaphoretica , ſed hæc potius eo fine ſunt continuanda , ut quæ forte in- tū remanerint impuritates expellantur . Quæ utilissima monita ſin flocci penduntur , & minus obſer- vantur , mille oriuntur mala , pri- tribus longe majora , & ſæpe cum vitæ periculo coniuncta . Ita crebrius annotare mihi licuit , particularem ſcabiem , quæ ſpecialia quædam lo- ca , v. g. manus , pedes , nucham & faciem occupavit , p̄poftra metho- do per linimenta consolidantia ſup- pressam graves nervosi generis adfe- ctiōnes , ut ſpaſmos cynicos , epilepticos , paſſionem iliacā , febres in- flammatori , cum deliriis , cardial- gias , aſthmata , & hydroſicos tu- mores excitasse , quæ vix aliis mo- dis , quam revertente priori morbo quieverunt . Huc etiam referendi ſunt caſus medicinæ meæ consultatoria- ſerti , ubi Cen. I. caſ. XXVIII. ma- le curatam ſcabiem hæmoptyſeos , & epileptiſa cauſam attuali , & cen. I. caſu IX. in epicriſi ad vertiginem contulisse demonſtravi . Majori vero & certiori danno plerumque adhi- bentur unguenta mercurialia . Miriſice quidem mox poſt inunctionem aliquot dierum , paucis tantum in locis tendinofis , & nervosi instituta evanescunt exanthemata , quia ſi- ne dubio fibrillares , & nerveæ cutis partes a medicamento hoc activiori ſtricturam quandam patiuntur , qua particulae humoris vitiosi e tubulis ſubcutaneis partim expelluntur r partim ad interiora repelluntur . At ve- ro , ſi corpus non ſufficienter antea ab impuris ſordibus fuerit depuratū , transpiratio imminuitur , & viſ materiæ morbiſicæ impetrōſe ad ineriora , maximeque ad partes ner-

veo-tendinofas convertitur ; unde præter alia mala , arthritidem fixam ſubortam novimus .

## §. XVI.

Superest adhuc peculiariſ cutis de- pravationum ſpecies , cuius facienda erit mentio . Nominatur illa gutta roſacea , quæ nihil aliud eſt , quam faciei defœdatio , & decoloratio cum rubidine , ſquamulis , & interdum pufculis tuberculisque inæqualibus juncta , a ſero ſanguineo plus minus impuro , copiosius ad vafa capilla- ria faciei adveſto enata . Sunt au- tem variæ guttae species , quarum le- viſſima eſt , ſi tantum naturali ma- jor rubedo circa natum , in fronte , vel certis locis faciei obſervatur ; pe- jor , ſi in ſquamulas abit , pefſima , quæ pufculis , & tuberculis eſt obſi- ta . Atque hi diversi gradus a diſfe- rente cauſa in variis ſubjectis de- pendet . Si quidem non omnis gutta roſacea pravos , & impuros ſuccos , quoſ natura ſingulare beneficio ad partes extremas ſummamque cutim faciei amandet , pro cauſa agnoscit , ſed potius in nonnullis a turgescen- tia , & diſtensione vafculorum mini- morum capillarium , vel etiam later- alium , quæ nullam alias lympham coloratam vehunt , derivari debet . Aliter vero res ſeſc habet , ſi cauſa hujus exanthematis in materia ſubtili actiua acri quærenda eſt ; quæ quo volatilior eſt , eo plus penetrat in nervofarum membranarum texturam , inque iis corporibus , quæ generis nervosi debilitate , & ſcorbutica ſan- guinis diathesi laborant , longe ma- jorem exercet tyrranidem .

## §. XVII.

Levior hujus mali indoles in ſub- jectis ſanis , vegetis , nullaque ſon- tica impuritatis labi infectis levio- rem quoque , & minus ſollicitam po- ſtulat curationem ; ſed in iis plerum- que

que a majori sanguinis ebullientis ad superiora motu proveniens s<sup>e</sup>pe so-  
lis temperantibus, diluentibus, &  
derivantibus feliciter tollitur. Longe  
vero pertinacius scorbuticis inhæ-  
ret corporibus, in quibus sine reme-  
diis sanguinem purificantibus nihil  
mitigatur. Ego igitur in ejusmodi  
casibus optimo cum successu ordina-  
vi sequentem potionem per aliquot  
hebdomades adsumendam. Recipe  
aqua fumariz, beccabungz, nastur-  
tii aquatichi, acetoz, ana libram  
unam, feri lactis caprini libras tres,  
arcani duplicati drachmas tres, ni-  
tri depurati drachmam unam M. D.  
S. potio cuius libra una mane & a  
meridie, si consentiat ventriculus,  
haurienda. Aliis eodem depurandi  
fine præscripti sequentes species:  
cabantur herbæ fumariæ, scolopen-  
drii, scabiosæ ana manipulus unus,  
rad. cichorei uncia una, corticis cap-  
parum uncia semis C. D. S. species,  
quarum uncia una in duabus feri la-  
ctis caprini mensuris decoquenda,  
& inde, facta colatura, quantum lu-  
bet, bibendum. Evacuandi scopo se-  
mel vel bis in septimana cum dicto  
medicamento drachmas duas infundere  
jussi harum specierum: Recipe  
polypodii unciam dimidiam, rhabarb.  
optimi drachmas duas, agarici tro-  
chisciati, mechoacann. alb. ana dra-  
chmam unam, nitri purif. arcani du-  
plicati, femin. scenicali ana drach-  
mam dimidiam. C. D.

## S. XVIII.

quam  
externa  
cum cau-  
colis. Neque præter hæc, in succulentio-  
ribus maxime subjectis, scarificatio-  
nes in nucha, scapulis, dorso insti-  
tuendas, neque temperata pediluvia  
ex aqua fluviatili cum furfuribus de-  
cocta omisimus, in potus locum sub-  
stituendo prisam temperantem, vel  
solam aquam fontanam cum cornu  
cervi usto indito depuratam, vel cum  
farina triticea, saccharo que & citri  
corticibus palato accommodatam.

Facto demum, his omnibus præmis-  
sis, & reliquis consentientibus, ad  
externa transitu, ego sequens epithema  
instar omnium inveni præstan-  
tissimum. Rec. aquæ spermat. ranar.  
flor. fambuci, fabarum anatica por-  
tione uncias binas, aquæ d'archibu-  
fide unciam unam, magister saturni  
drachmas duas, sachari saturni scripu-  
los duos, vitrioli Cyprei grana  
VIII. M. D. Maxima vero cautio  
debet adhiberi in omnibus topicis ap-  
plicandis. Docuit enim proh dolor!  
experientia, perversum earum usum  
in subjectis impuris, & sensibiliori-  
bus peñsima sublequuta fuisse sympto-  
mata. Sic ego inde ophthalmias,  
cardialgias, & a solo epithemate ex  
aqua spermat. ranarum, mucilagine  
sem. eydon. succo citri & floribus ful-  
phuris confitato hemiceraniam obser-  
vavi. Vid. consult. medicin. mearum  
cent. I. casus 163.

## O B S E R V A T I O N E S

## Enarrationes Morborum.

**V**ir quidam ætatis consistentis, Affec-  
tus  
pustula-  
ris prur-  
ginosus. tribus abhinc mensibus, medio  
hieme, sub nuptialibus festivitatibus,  
saltando corpus insigniter com-  
movit, atque postridie aeri frigido,  
humidoque diu exposuit. Hinc ea-  
dem adhuc vespera catarrhalis fau-  
cium affectione infestatus, elapso  
triduo podraga prehenditur, fatis mi-  
ti, & post dierum quatuordecim de-  
cursum evanescente. Sub hac ex im-  
proviso, dolore quadam circa dorso  
spinam in latere sinistro noctu cor-  
ripitur: quem locum, cum experge-  
factus leviter inflammatum confipe-  
ret, linteisque calefactis foveri cura-  
ret, obsidebat pustulæ cum insigni  
dolore. Sequenti nocte a spina dor-  
si per sinistrum abdomen erumpabant  
efflorescentiæ, instar lichenum: tum-  
que sequerantur pustulæ, in majores  
sensim vesicas coeunt; quæ ob in-  
signem, quem inferebant, pungen-  
tem

tēm dolorēm, dissecatæ serum plo-  
rabant lividum. Nullus in externa  
cute adparuit tumor; molesta autem  
intus vexabat sensatio, ponderis cu-  
jusdam, cutem inter ac musculos in-  
nati, quod ad levem contactum acu-  
tissimas exhibebat puncturas; atque  
ungebantur alvi segnities, perpetuae  
que vigilie.

Oppugnabat hæc symptomata mé-  
dicis leniter diaphoreticis, antispa-  
modicis, externe cataplasmatibus ex  
herbis emollientibus, quæ ingentem  
excitabant pruritum; & frictiones  
per calidiora linteæ, dolores relin-  
quebant, quales acus cuti inferunt:  
spirituosa vero proflus exasperabant  
malum. Mane loco infusi herbæ  
Theebois, decoctum radicis chinæ,  
sarsaparillæ, pimpinellæ, hermoda-  
stylorum, atque ligni sassafras po-  
tabat; & ex hoc ter quotidie triginta  
guttas elixirii nervino stomachi-  
ci, quod essentiam corticum auranti-  
orum, cascarillæ, gentianæ rubræ,  
liquoremque anodynum habuit, ad-  
sumebat. Quibus votis nondum re-  
spondentibus, novissime dolenti re-  
gioni applicabat emplastrum diachy-  
lon compositum diaphoreticum, cum  
spremate ceti, castoreo, camphora,  
atque croco subactum; quod loci  
istius sudorem, majoremque pruri-  
tum movebat, mox vero insigne le-  
vamen inferebat. Interim quum in  
dicto sinistro latere adhuc præsto sit  
locus, qui tensivum, & ad quemvis  
contactum, pungentem refert dolo-  
rem: ad hunc penitus expugnandum,  
salubre anhelat consilium.

## CONSULTATIO:

Singularis, quocum per aliquot  
mensæ, vir spectatissimus conflictat-  
ur affectus; non aliud est, quam pu-  
stularis scorbuticus, a dyscrasia hu-  
morum, falsis, acribus, impuris-  
que cordibus refertorum originem  
trahens. Hanc in sanguinis massa  
jam diu delituisse, vero est simili-

mum; quum autem æger sub me-  
moratis nuptiis, gulæ forsitanum  
indulsit, dein corpus vehementiori  
saltatione exagitavit, ac brevi post  
sub frigido diutius versatus aere, sa-  
lutarem perturbavit transpirationem;  
commovit utique, ac quasi suscitavit  
silentem hactenus hostem.

Unde catarrhales primum fascium  
adfectiones, ac podagricos pedum  
doles expertus; his per metastasis  
ad dorsi spinam retrocedentibus, in  
molestem illum, quo adhuc labo-  
rat, pustulare pruriginosumque in-  
cidit morbum.

Quum vero istæ efflorescentiæ,  
salutari plane consilio, ad cutis su-  
perficiem sint compulsa: eo respice-  
re decet medentem, ut naturæ du-  
ctum sequutus, iis potissimum uta-  
tur remediis, quæ integrum sanguini-  
nis ac humorum massam depurandi,  
saliaque scorbutica attemperandi, ad  
exitum disponendi, & per alvum  
cutimque e corpore proscribendi vir-  
tute pollut. Quo quidem fine in  
hisce casibus pro potu ordinario præ-  
scribere suivi decoctum, ex radice  
scorzonera, sarsaparillæ, liquiritiæ,  
rasura cornu cervi, semineque fœ-  
niculi paratum. Deinceps, bis qua-  
vis hebdomade corpus intuso man-  
nato, rhababarino, cremori tarta-  
ri nupto purgari; reliquis diebus  
mane liquorem meum anodynum,  
cujus tres partes cum una spiritus  
bezoardici Bussi, vel tintura be-  
zoardica sint remixa; vesperi ve-  
ro, ad promovendam transpiratio-  
nen, pulverem diaphoretico cinnabi-  
rinum adhiberi euro. Non minus  
iis, quorum ventriculus fert, potum  
seri lactis cum insigni fructu com-  
mendare soleo. Ex topicis empla-  
strum Barbette camphoratum, cum  
oleo hyoscyami subactum, vel so-  
lus spiritus vini, leviter rectificatus,  
partique dolenti inunctus, egregium  
adferre observantur adjumentum.  
Quibus remediis, per aliquot heb-  
domades continuatis, si persanetur  
hæc

hæc molesta adfectio ; excellentissimum in totum corpus inde resultabit emolumentum.

## O B S E R V A T I O II.

**S**cabies **J**Uvenis viginti, & aliquot annorum, habitus corporis spongiorum, qui lacte, & saccharo conditis & fervide valde semper delectatus, & state liciter curata. quondam maxima in copia fructus ingessit horæos, sub insequentem autumnum, postquam præsertim cum scabioso in uno decubuit lecto, magno afficitur pruritus, & pustulis indies magis efflorescentibus, quæ de nocte multum crebant molestiae, & intra unius septimanæ spatiū per totum corpus diffusæ sanie æque copiosam atque acrem stillabant. Medicus consultus ad depellenda hæcce incommoda vehemens præscribebat purgans per singulos dies sumendum, cuius quidem usū ultra sexaginta ferme sedes intra triduum provocatae vires mirum exhauebant, sed simul mirabiliter spectaculo omnis prope scabies disperebat, pustulis egregie exsiccatis. Quæ perfecta videbatur sanitas non multo post de novo labascebatur, dum æger omni appetitu, & somno destitutus in interioribus insignem experiebatur ardorem, cum maxima debilitate pulsuumque celeritate junctum. Dabantur itaque ex meo consilio medicamenta blande diaphoretica, maxime autem nitrum cum camphora, & antimonio diaphoretico mixtum, substituto in potus locum decocto cornu cervi calido. Qua methodo id efficiebatur, ut infensissimis hisce symptomatibus evanescerentibus denuo nova prodibant cutis excrementa, quæ postea per decoctum veronicæ in copia haustum, pulveribus leniter absorbentibus, & temperantibus, unguento sulphurato & balneo, perfecte sanabantur.

## E P I C R I S I S.

Docet in primis hæc morbi historia, quod scabies sit contagiosa, facileque possit cum illis corporibus communicari, quæ jam sanguinis quadam dyscrasia, ob perversam virtutem rationem, laborant. Frequentissimus autem hujus morbi proveniens in autumno solet contingere, quia sub hoc anni tempore turbulento, & quoad tempestates inconstantie perfacile saluberrimum transpirationis negotium impeditur, magna quoque fordinum excrementiarum copia in sanguine accumulatur.

2 ) Notare licet, vehementer alii purgationem retropellere posse scabiem, dum sic humorum motu ad peripheriam corporis imminuto, cutisque colatorio spasmodice quasi constricto, salia cauisticæ indolis acria per sudorem non amplius eliminantur, sed retenta, & intus rejecta facile febriles motus suscitant. Equidem non nego, in scabie omnibus que subcutaneis affectibus primam regionem a biliosa amurca esse repellendam, sed ut remediis per epicrasin, & paullatim agentibus, uti sunt infusa vinoſa, id fiat, etiam atque etiam moneo,

## O B S E R V A T I O III.

**F**Emina tenerrimæ constitutionis, scabies biliosa & viginti annos nata, post u- tempore adhuc frigido ad acidulas Pyrmontanas profecta, iisdem per frigidum quatuordecim dies sub cœlo frigido, & prohibita humido sine ulla valetudinis noxa utitur. Domum autem reversa ratione elapsis aliquot hebdomadibus maxi- mo totius corporis pruritu exercitabatur, quem inopinato sat multæ pustularum efflorescentiarum in manibus, cum tumore, & dolore inflammatorio sequebantur, quæ succedente tempore ingentem saniei copiam ill-

fillabant. Consultus vir chirurgiæ peritus pulvere exsiccante, ex tutia, creta, & cerussa composito manus perpetuo ichore madidas diligenter conspergebat. At vero, loco hyperati salutaris effectus tussis oriebatur vehementissima cum summa præcordiorum anxietate, & in ipsis mulieribus, quæ valde intumescabant, ægra intensissimum sentiebat pruritum. Ego igitur in consilium adhibitus, quum singula hæc mala a materia peccantis in corpus repulsione enata facile augurabar, remoto pulvere siccante, tinturam antimonii tartarisatam cum infuso radicis enulæ, quod fortiter expellit, quotidie adsumendam commendabam; ad tumorem autem dolorificum in pudendis abigendum, emplastrum emollientis cum pauxillo camphoræ mixtum ordinabam. Nec spem fetellit hæc curandi ratio: siquidem tussi inde composita, reliquisque symptomatibus faublati, rursus in partibus extremis plurimæ efflorescebant pustulæ, quæ postea decenti corporis purgatione, subiunctisque in fine unguentis sulphuratis, & balneis ex voto deciderunt, pristino cuncti nitore per unguentum nostrum cosmeticum reddito.

## EPICRISIS.

Quæ præsentem ægrotam gravior vexavit scabies ex intempestivo acidularum usu suam duxit originem. Quodsi enim aquæ ejusmodi frigido-humida aeris constitutione in copia hauriuntur, non potest non inde liberior transpirationis succensus suspendi, atque magna impuritatum salinarum, & excrementarium copia colligi, quæ deinde, callidori aere accedente, cum impetu ad extremam corporis superficiem expelluntur, ubi stasi sua inflammationem, & varii generis exulcerationes producunt. Jam æquum justumque fuisset, naturæ in expellen-

Hoff. Syr. T. IV. P. 5.

dis, & corrigendis his foribus interna ope succurrere. At vero, quum chirurgus externis siccantibus materiali corpori infensam retroegerit, non mirum est, pessima suborta esse mala, quæ nisi revocatis exanthematicis, & acri materia denuo expulsa abigi non poterant.

## OBSERVATIO IV.

Scabies  
maligna  
cum tu-  
bercolis  
in cœre.

**A**ccidit aliquando hic loci, ut tota domus scabie inficeretur maligna, quæ tamen in primis materiali in pedibus æque ac manibus miserrime divexabat. Erat ille quadragenarius, constitutionis gracilis, & macilentæ, temperamento prædictus cholericus, paululumque ad melancholiæ inclinante; victu delectabatur duriore, potu consistentiori, studiisque nimis intentus vitam agebat sedentariam: quamobrem non poterat non sanguinem generare spissiorem, & deinceps scabie infectus aliis longe gravius, & diutius decumbere. Manus enim, & pedes innumeris obsidebantur pustulis, quæ pruritu fere intolerabiles per plures septimanæ impediebant, quo minus pedibus incedere, vel manibus quidquam prehendere valeret. Enimvero, ad submoyenda hæc malæ venam secundam præbuit, pilulis aliquoties ventrem purgavit, sudavit, & balnea adhibuit, sed sine ullo constantiori effectu; ut potius scabiosæ illæ pustulæ, quæ membra derelinquere videbantur, brevi post pleniori redirent agmine. Ego quum primum advocarer, Carolinarum usum suadebam; hoc vero consilio neglecto, sequenti ratione ægrum divina gratia restitui. Primo omnium præscribebam pilulas hujus compositionis: Recipe extracti panchymagog. Crollii, gummi ammon. mercurii dulcis, cinnabaris nativæ præp. singulorum drachmam dimiam, sulphuris antimonii aurati, falsi succini ana

ana grana decem, olei ligni sassafras gutt. X. M. F. l. a. pilulæ ex scrupulo uno numero **XX.** quarum duodecim singulis tribus diebus mane capiebantur, superhausto & interposito infuso veronicæ calido. Inde mitigabatur quidem pruritus & pustularum plurimæ exsiccatae squamulas deponebant, sed nove subinde propullulabant; &, quod notabile erat, in brachiis non minus, ac in pedibus duri & insignis magnitudinis nodi, sub cute delitescentes conspiciebantur, qui glandulas tumefactas referebant. Quæ quum animadverterem, malum difficulter sanatum iri edixi, nisi grandioribus his tumoribus simul sublatis; eoque fine unguentum illinendum nodis commendabam, quod basarium sulphuris antimoniatum cum mercurio vivo subactum recipiebat. Interne priora continuabantur remedia, & enī! simplici hac methodo, cui in fine balnea subjungebamus, id per Dei gratiam obtinuimus, ut ager a molestissimo hoc affectu liberatus integræ redderetur sanitati.

### E P I C R I S I S.

Non raro in artis exercitio observare licet, quod non modo scabies, sed & alia externa cutis vitia valde sint rebellia, omniumque remediorum vim penitus eludant. Quod vero si evenit, non obscurum söllet esse indicium, magnam lymphæ subesse impuritatem & visciditatem, quæ obstructions glandularum vel subcutanearum, vel meseraicarum, ipsorumque viscerum pro causa agnoscit, in quartum partium alterutra fermentum quasi residet, quod diuturnos hosce affectus alit atque sustentat. Cuius rei plenissimam faciunt fidem observationes corporum, vel lepra, vel aliis pertinacissimis morbis demortuorum, ubi glandulas, praesertim nieseraicas valde magnas & tumefactas persæpe inveni-

ni. Quæ cum ita sint, in usum praticum hæc eximia redundant cauta la: omnem frustraneam esse sanguinis depurationem, quantumvis alias probatam, nisi id medicus perficere fatagat, ut penetrantioribus ex minerali regno petitis remediis obstructas glandularum minimorumque tubulorum vias reseret atque recludat.

### O B S E R V A T I O V.

Scabies  
forina  
pertinacia  
ciflissima

Vir consistentis ætatis gente Judent, habitu corporis macilento incedens, jam per septem fere annos scabies sicca laboravit cum pruritu per totum corpus molestissimo, eoque de noctu mirum in modum adacto. Nihil hactenus profecerant fortis purgationes vel saepius repetitæ, nihil sacrificationes & venæsectiones, nihil demum sudorifera, utut ingenti in copia devorata, magnoque ubivis pretio a plurimis medicis coemta. Multo magis sanitatis loco res eo de venerat, ut se æger vera lepra adfectum, & ad mortem usque miserium crederet. Tandem vero veniebat ad me supplex, ut tuz miseriæ medicamentorum ope finem facerem, quem alias solam mortem esse allaturam credidisset. Ego igitur, singulis probe æstimatis, facile augurabar, tum pervergam & nimis liberalem vivendi rationem, tum iniquas medicorum curationes, quas potissimum calidioribus medicamentis & decoctis ligni guajaci exsiccantibus suscepserant, hactenus exoptatum morbi exitum retardasse. Quare ego leniori procedendum via ratus præcipue omnium in dietæ virtusque regimine cibos duros, falsos, acres removendos præcipiebam, commendata in potus locum ptifana ex rasura cornu cervi & radice scorzonerae confecta. Deinde, ad sanguinem diluendum & purificandum commendabam serum lactis caprini per mensem & ultra mane calide

lide bibendum; vel hujus loco sequens decoctum substituendum: Rec. radicis altheæ unciam unam, rasuræ cornu cervi uncias duas, herba veronicae, malvae, hederæ terrestr. ana manipul. unum, florum sambuci pugill. IV. semen. cydon. papav. albi ana unciam semis. C. D. Atque hujus decocti mensuram unam & dimidiam æger quotidie calide hausit, lenem postea sudorem in lecto mane espectando. Ad alvum apertam servandam potionem dabatur manata, quæ semel in hebdomade hauriebatur: unde intra mensis spatium non modo pruritus mitigabatur, sed pustulæ quoque siccæ sensim paullatimque evanescerent, maxime cum balneis aquæ dulcis temperatis, atque balsamo sulphuris amygdalino externam simul opem praestabamus.

## EPICRISIS.

Judei propter genus vitæ fordinum, pauciores potum & multum tabaci fumum; imo, quod maximum est, propter allii inter cibos comedionem facile scabie sicca tentantur, quæ licet per se satis molesta, semper tamen majorem exercet tyrannidem in subiectis macilentioribus, quale præfens fuit ægrotus. In curatione rite peragenda cane pejus & angue fugienda sunt calida volatilia & serum magis defraudantia, ut fere sunt essentiae calidæ & decocta ligni guajaci; quibus non modo symptoma mirum augentur, sed malum quoque pertinacissimum redditur. Multo magis ea in usum debent proponi, quæ spicula acria involvendo impediunt, quo minus ipsa in partes sensibiles tam violenter possint agere & spasticam quasi cutis constrictiōnem inferendo, folidum impurorum & salinarum exhalationem remorari. Verum enim vero, ut eo clarius patescat, quantum damni sicut ex omnibus calidioribus & acri-

bus medicamentis, ita quam maxime ex decocto guajacino in corpora scabiosorum redudet, allegare atque hunc transcribere placet singularem & dignissimam notatu observationem, quam Henricus ab HEER in observat. med. pag. 200. suppeditavit. Anno 1608. venit ad me juvenis temperamento ebolicus, lacrimosa, & altis rimis pervia per totum corpus cute, non aliter, quam si clatriferis acutissimis, cannabis aut lini inflar, pexus fuisset. Credebam illum lepra a me indicium, vel consilium petiturum, illo enim leprosiorem per omnem vitam vidi neminem. Re ab initio examinata, inuenio illum apud septem chirurgos, guajaci decoctum septies, qualibet vice, ad dies quadraginta potasse, cumque initio parum mali haberet, tam longo guajacina scobis potu, tantum non perfectam lepram incurrisse. Sape etiam observari melancolicos, nimio guajaci usu elephantiacos factos. Tum quoque paucis interiectis curam suppeditat in hunc modum: jubeo illum quotidie mane sumta sesquidracma crystalli montani preparaticum succis foli: nymphæ, ribes & berberorum superbibere seri latè, cum tantillo salis prunellæ, quantum posset. Deinde in stramineo lectulo, sub altissimo molendino jacentem, hillidium ex alto in hepatis regionem cadens excipere aquæ gelidissimæ, neque motu, neque solaribus radiis calefactæ. Hoc cum mane & sesquibara ante cœnam, aliquot dies fecisset, sanissimus & pulcherrimus est factus. Et profecto, si dicere licet, quod res est, nihil perniciosius potest ex cogitari, quam subiectis cholericis, macilentis & scabie sicca laborantibus decocta guajacina propinare. Causam si quis querat, in promtu est. Etenim, quum exoticum hoc lignum abundantí, coque subtili refinoso & accerrimo sale, quod etiam vehementer movet sternutationem, præ aliis scateat, judicatu facili-

num esse arbitror, hoc ipsum fibras corporis, per se jam rigidas adhuc magis intendere, & una cum sudore, quem plerumque largiter mouet, bonos succos effundere, qui tum viribus sustentandis, tum acribus salium spiculis contemperandis infervire deberent.

## O B S E R V A T I O VI.

*Scabies climatica.* **V**ir quadraginta, & novem annorum, temperamento sanguineo-melancholico, habitu corporis spongioso, & animo mobiliori praeditus, qui praeter defluxiones catarrhales levioremque tussim, in juventute perpeccam, sub vita sedentaria, & moderationi diæta nulla sotERICA valetudinis incommoda senserat, inopinato scabie corripiebatur sanoisa, quæ ita simul ac semel increscet, ut totum corpus madore sanoiso ferme diffueret, novoque quotidie industro opus esset, ad nimiam humiditatem exsiccandam. Praeter hæc vero, oris feitor aderat intolerabilis fere, & ab admissa frigidiori aura mox summae percipiebantur angustiæ. Ad nos itaque confugiens uxor ejus sequens reportavit consilium. Primo omnium præscripti infusum, quod sequitur laxans, cuius unciaæ aliquot per triduum tam mane quam vesperi bibeantur. Rec. rad. cichorei, pimpinellæ ana drachmas tres, herbae cuscuræ, epithymi, fumariae ana manip. unum, fol. senenæ sine stipite. rhabarbari el. ana unciam dimidiæ, mannae el. unciam unam, salis amari Sedlicensis drachmas sex, cardamomi scrupulos duos C. D. S. species, quæ cum mensura aquæ fervidae per noctem infundantur, factaque dein exprefione, cum æquali portione vini boni Mosellani remisceantur. Deinceps ordinavi pulverem diaphore-

tico absorbentem, ex lapid. cancror., antimonio diaphorerico, conchis præp., succino, floribus sulphuris, & nitro compositum, una cum infuso theiformi, quod herbas scabiosæ, veronicae, heder. terrestr. rad. cichorei, & glycyrrhizæ recipiebat. Pro potu ordinario adsumebatur decoctum rad. chinæ cum passulis; idque hac methodo exactis duobus mensibus obtinebatur, ut multum a ferocia sua adfectus remitteret. Ad plenariam igitur satiationem, quam æger cum suis anxie anhelabat, præstandam, exteris commendavi unguentum ex unguento lithargyrii, flor. sulphuris, & mercurio vivo conflatum, carpis manuum adplicandum; neque tamen alui purgatione, neque diaforeticis sub ejus usu penitus omis- sis. Et sic læto omne eveniebat, ut foeda scabies sensim paullatimque exsiccaretur, & æger ex voto fanatus ab eo tempore optime sibi constaret, omniumque morborum expers plures supra sexaginta annos attingeret.

## E P I C R I S I S.

Perquam notatu dignum est, quod adfectus hic pustulosus anno climacterico septenario septimo contingit: eamque ob rem non inepce climacterica scabies appellari menteatur. Licit vero annorum climactericorum in corpus humanum potentia non adeo sit cognita atque explicita, ut vera ejus ratio cuique pateat; nihilominus tamen negari minime poterit, his ætatum periodis multa notatu digna in machina nostra accidere, & varios in primis actus depuratorios a natura institui, quæ, si superantur, ad sanam, & longioram vitam multum conferunt momenti. Sic enim copiosa prostant exempla: sub his climactericis annis diarrhoeas, sudores chro-

chronicos, scabies tam siccas quam humidas, hæmorrhoidalem fluxum, aliasque plures excretiones fuisse excitatas, quæ prudenter moderatæ plenam sepe & perfectam valetudinem attulerunt. Quodsi vero saluberrima ejusmodi crisis in corpore oboritur, circumspecta sane methodo opus est, ut ne ullo modo naturam in operationibus suis, ad bonum finem tendentibus turbemus, ac forte violentis vel repellentibus remedis perniciem sanitati intendamus, quæ nulla unquam ope in melius potest converti. Sicut autem temparata corrigentia & evacuantia in tali rerum statu optima & securissima sum remedia; ita e contrario nihil potest esse pernicio-sis, nihil pestilentius, quam externa unguenta, ex sulphure & argento vivo nimis cito & intemperate adhibere; quibus materia vitirosa foras propellendas ad interiora convertitur, variisque generis mala arcessuntur, ex quibus eluctari, vel nunquam prorsus, vel difficilime licet.

## O B S E R V A T I O V I L

Scabies  
epide-mica.

**A**nno post millesimum septimum gentesimum decimo sexto, ob æstatem valde humidam & frigidam, a medio Augusti mensis ad finem usque Octobris innumeri fere cū-juscunque sexus & ætatis homines in hac nostra civitate, aliisque vicinis locis, præsertim Islebiæ, non modo scabie, sed & aliis subcutaneis affectibus, tum epidemicè grassantibus insolito plane more corripiebantur; hoc tantum discrimine, quod siccioris temperaturæ subiecta scabie potissimum pruriginosa & serpiginosa, spongiosa vero habitus corpora humida potius affligerentur, atque in multis, ubi malignam induebat faciem, duri sub cute noduli & glan-

Hoff. Syſt. T. IV. P. 5.

dularum, præsertim axillarium tumores jungentur. Neque etiam pueri, qui vix ante menses aliquot variolosum superaverant morbum, immunes relinquebantur, sed ipsorum alii profundiores, difficilimæque sanationis exulcerationes ad periostium usque experiebantur, alii erysipelate capitis & faciei affecti, post hujus curationem ictiobi siabant, malo ab humero ad manuum carpum serpente. Præter hæc vero, quod notabile est, ple-rique his malis laborantes, ciborum erant avidissimi. Curatio ita maxime fuit instituta & ex voto peracta. Primo omnium natu majoribus infusum vel potio præscribebatur temperate laxans; pueris autem hoc, quod sequitur, purgans. Recipe pulvis Cornachini scrupulum unum, mercurii dulc. gran. unum. syrapi cichorei cum raha-barbaro drachmas duas M. D. Ex-purgatis hac ratione primis viis, vespertino tempore pulvis dabatur diaphoreticus, qui ex tribus parti-bus pulveris bezoardici nostri, vel ad Ludovici mentem confecti, & ex una parte æthiopis mineralis constabat; mane autem infusum theiforme, ex herba veronicæ, sca-biose, fumar. florib. sambuci, rad. glyzyrrhizæ & cortice ligni fassa-tris forbillari debebat. Mensis cir-citer spatio inter hæc exacto pluri-mis iunctiones præcipiebam artuum & ligamentorum cum lini-mento quadam exsiccante, ex unguento pomato, æthiopæ minerali & saturni saccharo composito. Tandem quoque, ut aspredo cutis & rigiditas in illis locis, ubi pustule stigmata & deformes sui no-tas reliquerant, tolleretur, vivi-dusque & naturalis corpori color redderetur, sequens unguentum co-smeticum, quod ego in omni-bus cutis vitiis, ad cutis inæquali-tates removendas curatione finita utilissimum deprehendi, ad fornacem cali-

calidam illinendum commendabant: Recipe pinguedinis omenti vitulini, aquæ post hujus coctionem innatantis unciam unam, spermati ceti, cereæ albæ ana unciam dimidiæ, balsami de copaiva drachmam unam, olei ligni Rhodii guttas X. M. & per triturationem in mortario cum aqua rosarum fiat unguentum. D.

## EPICRISIS.

Omnia pustularum genera frequenter autumnali & vernali proveniunt tempore, ob atmospheram frigido humidam & subitanas aeris mutationes, quæ virtuti elasticæ fibrarum, pororum, omniumque meatuum valde inimicæ saluberrimum transpirationis opus facile cohibent: unde ex retentis istis folidibus impuris, salinis, & de novo coeuntibus; tanquam ex fonte pustulosi curis morbi propullulant. Multo vero magis particulæ ejusmodi incrementitæ in suecis vitalibus accumulantur hie me frigido-humida; quando ob prægressam calidorem tempestatem perspiratio fuit intensior. Tum quoque infantes præcipue vermis solent laborare, quoniam autumnali tempore per fructus horæos in copia comedestos magnam succorum viscidorum & acidorum colluviem in primis viis collegerunt, quæ postea, majorem ciborum adpetentiam, excitando, corruptionem humorum magis magisque promovet. Atque tantum refert, anni temporum constitutiones bene intelligere: quare optandum esset, ut medici ad præternaturales tempestates magis attenti aeris & ventorum mutationes per barometra & thermometra diligentius obseruant: qua ratione futurum esset, ut multi graviores & epidemice grassantes morbi promptius possent prævideri, congruaque diæta & paucorum remediorum ope in tempore averti.

## OBSERVATIO VIII.

Affection  
cutis lo-  
pram  
Arabum  
æmulans

Vir illustrissimo loco natus, se- ptuagenario major, habitus corporis macilentioris & vasculosi, qui a primis juventutis annis diætæ vinofiz addictus, quotidie tres vel quatuor vini mensuras potaverat; omnem prope vitam, exceptis lenioribus, quas catarrhales dicunt molestias, integra gavisus est valetudine, maxime cum corpus strenue semper exerceret, sanguinemque ter vel quater in anno detrahendum curaret. At vero, quem superato septuagesimo ætatis anno decrescens virium robur vix amplius fortiori corporis exercitationi sufficeret, sed vita magis sedentaria eligenda esset, persæpe dolorem in hypocondrio sinistro gravatiuum percepit, cum respiratione difficultiori; quæ tamen mala cedematoso pedum tumor accidente expirarunt. Commendabatur itaque acidularum Egranarum potus, debito cum regimine vernali tempore instituendus, quo per aliquot dies adsumto mox pedum tumor increaserat, & exactis sub hac cura quatuordecim diebus ad genua usque ascendebat: jungebatur simul pruritus, & ex poris hiantibus, ichor viscidus magna in copia præmanabat. Omissis acidularum potu nihilominus pedes instar saccorum tumidi manebant, humorem continuo stillantes tenacissimum, qui in squamas & crustas sat latas coibat, super quas pustulæ rubiginosæ eminebant. Post hæc, in femore quoque & brachiis pustulæ oriebantur valde pruriginosæ, & rodentes, quæ scalptu cum digitis cutim lacerabant. Ceterum appetentia ciborum integra, spiratio facilis & mentis vigor satis bene constabant. Durabat morbi vehementia per dimidium fere anni, & hæc, quæ sequitur, instituebatur curatio. Interne dabantur laxantia mannata & rhabarbarina, juscule ex carne vitu-

vitulina & gallinacea, cum viperarum carne, radicibus cichorei, scorzonerae, herba chærefol. endiviae, & borraginis decocta: in potus locum substituebatur decoctum rad. chinæ, sarsaparillæ, polypodii, glyzyrrhæce & cichorei cum passulis & pauxillo corticis lignis sassafras: nec serum lactis cum succis fumariæ, nasturci aquatici & beccabungæ alteratum omittebatur. Ex medicamentorum classe singulis diebus maiæ tinctura antimonii acris cum essentia pimpinellæ, & scordii remixa; circa noctem vero pulvis precipitans nitrosus ex aqua offerebatur. Ad externam medelam quo attinet, hanc ipsam quidem initio ferebamus epithemate, quod aquæ calcis vive unciam unam, aquæ flor. sambuci, plantaginis & spermatis ranar. anatica portione libram unam habebat, superposito dein eniplatro diachylo simplici cum mucilagi e medii corticis tiliæ remixo. Tum quoque linteæ, decocto hujus corticis aquoso immersa insigni cum fructu applicabantur, & escharæ sequenti ilineabantur unguento: Rec. lithargyri libram dimidiad, aceti acerimi libram unam, nitri purificati unciam unam. Coque per horam, facta dein colatura fiat cum sufficiente quantitate olei lilior. alb. cerisæ, tutæ, æthiopis mineral. olei tartari per deliqu. & ligni Rhodii in mortario unguentum D. His tam interne quam externe adhibitis toti corpori pristina redibat munidities, & serenissimus æger per longius temporis spatium egregia fruebatur valetudine. Verum enim vero, quum stritoris diætae impatiens non modo cibis plus justo se repletet, sed vinum quoque sub vita motus experite largius hauriet, factum est prohdolor, ut sequente hieme frigido humida maximam sentiret virium prostrationem, urinam redderet copiosam, albam & turbidam, & perreunte ciborum appetentia, insigni hypochondrii sinistri dolore tumidis labiis, vertigine aliisque capitis molestiis vexaretur. Neque tamen illustrissimus gravioribus his malis succumbebat, sed denuo coavalescens ad veris usque initium spiritum protrahebat, ubi luctu adfectus domestico in profundum decidebat saporem, qui cum loquelæ omniumque tam internorum, quam externorum sensuum abolitione junctus septimo post inauisionem die in mortem terminabatur. Secto corpore id notatu dignum erat momentum, quod lien inlignis magnitudinis valde inflatus, turgidus, & liquamine atro sanguine repletus fuerit inventus.

## EPICRISIS.

Quum ego ad plurimas serenissimorum Principium aulas evocatus saepe consilio & auxilio prodeisse debui, per opportunam habui occasionem, pancratianam vivendi rationem penitus cognoscendi, atque varias colligendi observationes, quæ summorum virorum diætam & valetudinis statum accuratius declarant. Id autem quam maxime annotare mihi licuit: complures, inordinatae licet diætae crebrisque vini compotationibus adsuetos constanti sanitatis fructu gravidos esse, quamdiu corpus motu exercuerint; invalescente vero senio, vel aliis de causis ad vitam magis sedentariam redactos, mox varia valetudinis incommoda, & maxime quidem vertiginem, visus imbecillitatem, apoplexias, pectoris angustias, appetitus prostrationem, molestos hypochondrii, inprimis sinistri dolores, imo arthritidem & cedematosos pedum tumores incurrisse, sectisque post mortem corporibus lienem plerunque ita se representasse, quaлем supra docuimus. Ratio in proclivi est. Quamdiu enim sufficienti motu & exercitatione succi vitales æqualiter per corpus distribuuntur: & saluberrimum

rium se & excretionum negotium in ordine servatur; tamdiu perversæ diætæ noxa facile avertitur, nec statim morbi, in humorum stagnationibus fundati ingruunt. Quamprimum vero, mutato vitæ genere mobili in immobile, pristina lauta vinoſaque diæta continuatur, non possunt sane non, circulo sanguinis retardato, visceribusque sensim infarctis graviora inde mala & fonticæ valetudinis læſiones in corpus redundare.

Ceterum morbus quo serenissimus noster laboravit, lepram Arabum æmulare videtur; & notabile est, quod lien tam magnus fuerit reperitus: unde nos recte in sententia nostra confirmamur, peccinatores & valde rebelles externæ cutis affectiones nunquam fere non nobilioris cuiusdam visceris læſionem pro causa & fundamento agnoscere.

### O B S E R V A T I O IX.

*Septentrionalis specie in loco.* **V**ix quadraginta annorum, temporeamenti sanguineo-phlegmatici, diætæ addictus crassiori, & in loco septentrionem verius spectante aere utens humido, vappido & scorbuti generationi apprime favente, ante annum & quod excurit in itinere comprehensus lecto incubuit, in quo forte scabiosus contagii sui miasma reliquerat: unde non multo post in scroto ingentem percepit pruritum, quem quum digitorum scalptu mitigare voluit, levis intumescens & tædiosum materiæ humidæ, colore albida ex poris stillicidium exceperunt. Vocatus medicus atque chirurgus facultos herbis discutientibus repletos & in vino rubro coctos applicuerunt; unde tumor quidem renuisit & humitas siccata fuit, sed non modo pruritus idem permanxit, verum etiam per periodos, modo longiores modo breviores, acerbi & pungitivi accefserunt dolores. His ita constitutis ordinatae sunt purgationes alternis diebus repetendæ, data decocta larga in

quantitate haurienda, & exterius epithemata ex calcis aqua adhibita, sed sine omni salubriori effectu; ut potius ficcato & repulso scroto exanthemate, nunc in lumbis ac pedibus pustulae minime effluerint, quæ ingenti pruritu maximam crearunt molestiam. Tandem & meum imploratur consilium; unde ego primo omnium, quod ad diætæ virtusque regimen pertinet, missis falsis, acribus, acidis & pinguibus alimentis, leves & concoctu faciles cibos, in refracta tamen portione adsumere, loco cerevisæ consilientioris, vini & spiritus yini decoctum radicis farfaparill, cichorei & glyzyrrhicæ in copia haurire, & insuper corpus eundo, curru & equo vehendo, aliisque exercitiis movere ægrum jussi. Præter hæc vero, circa æquinoctium, quod instabat, vernales scarifications suæ in dorso, brachiis ac pedibus instituendas, tumque per mensim & ultra curam, quæ sequitur suscipiendam. Bibebatur scilicet singularis diebus mane serum lactis dulce, vel aqua calcis eum lacte temperata, sumendo simul in prandio ad vim ventriculi concoctrice adjuvandam octoginta guttas elixirii nostri visceralis, & circa noctem alternis diebus, ad ebullitionem sanguinis componendam, pulveris absorbentis nitrosi scrupulos circiter duos. Inter hæc semel vel bis in hebdomade prima regio laxante pulvere, qui rhababar. el. drachmam dimidiad, tremor tartari scupulum unum habebat, repurgabatur, & demum finita hac eura loci affecti unguento illinebantur, cuius nobis usus est in omnibus ejusmodi cutis vitiis exsiccandis, præmissis præmittendis frequentissimus: Rec. ungenti de lithargyr. unciam unam, flor. sulphur. drachmas duas, ol. hyoscyam. drachmam unam M. F. unguentum D. Atque hac ratione ægrum divina annuente gratia sanitati restituimus.

## EPICRISIS.

1) Præsens ægrotus scorbutica sanguinis & humorum dyscrasia labo-  
rat, quam sibi procul dubio vi-  
tudo, vita sedentaria & aeris vap-  
pidi usura contraxisse videtur. Nam  
ea est harum rerum indoles, ut fan-  
guinem spissum, viscidum, & ad li-  
beriorem per omnes partes circula-  
tionem ineptum ingenerent; unde de-  
inceps facillime succorum inutilium  
excretiones retardantur, multæque  
fordes impuræ, falsæ & acres accu-  
mulantur, quæ proximam cutis ad-  
fectuum causam constituant, maxi-  
me si contagiosa quædam infectio,  
ut in præsenti hoc casu accesserit.

2) Merito taxandus est medici pa-  
riter atque chirurgi in curanda scro-  
ti serpentine error, dum iniquo pla-  
ne auctu ea adhibuerunt remedia,  
quæ obstipatis cutis poris, liberam  
materiæ acris exhalationem impedi-  
verunt; ut ideo non mirum esse de-  
beat, cur deinde non tantum major  
prurigo, majorque partis affectæ du-  
rities subsequantæ, verum etiam, cur  
facta materiæ ad alia loca metafia-  
si, tam lumbi quam pedes pustulo-  
sis excrecentiis defœdati fuerint.  
Longe itaque melius longeque tutius  
est, inter initia statim ea præscribere  
medicamenta, quæ sanitati infen-  
sam humorum spissitudinem diluunt,  
acrimoniam temperant, & obstructos  
cutis poros referando, malignitatis  
eliminationem promovent. Quorum  
ex numero in iis, qui ferre possunt,  
lacticinia eminent, five etiam aqua  
calcis vivæ cum lacte temperata, cui  
jam ab HIPPOCRATE & optimo  
ipsius interprete Sponio, eximia in  
diluendis & depurandis humoribus  
virtus tribuitur.

Vid. consultat. med. Tom. II. Sect.  
IV. casu CXXII, CXXIII. &c.

## CAPUT VI.

De omnis generis ulceribus tam  
benignis quam malignis præ-  
sertim cancerosis.

## THESES PATHOLOGICÆ

## §. I.

**D**ixi in priori capite de illis vi-  
tiis, quæ summam cutis super-  
ficiem potissimum occupant, variisque  
generis pustulis, pruritu & inflam-  
matione molestis exasperant, erodunt,  
exulcerant. Nunc ad ea veniam, quæ  
profundius serpendo, ipsas partes cu-  
ti subiacentes male adficiunt, & ul-  
rum nomine a medicis insigniri so-  
lent. Sunt autem ulcera: partium sol-  
lidarum cum cavitate quadam mino-  
ri, ichorem tenuem, falsum & acrem  
fundente, dissolutiones & erosiones,  
a fero extravasato & corrupto origi-  
nem ducentes.

## §. II.

Differunt ulceræ ab abscessibus, <sup>diff.</sup> in hisce major, quam in illis <sup>rentia ab</sup> deprehenditur cavitas, atque non tam <sup>abcessi-</sup>  
<sup>bis.</sup> sanies aquosa, falsa & acris, quam  
potius pus laudabile bene coctum a  
sanguine in partibus musculosis sta-  
gnante & mora corrupto gignitur;  
licet negari minime poterit, ulceræ  
sæpe ex apostematibus oriri, quæ in  
principio meri fuerunt abscessus. Di-  
lcrepat quoque uerum ulcus a tetra-  
sum carie. Hæc enim ossa tan-  
tum, illud molliores corporis partes  
invadit; quamvis in eo convenire  
videantur, quod utrumque malum  
materia corrodente putrida exesio-  
nem corruptionemque partis affectæ  
inferat.

## §. III.

Veram tam abscessuum quam ulcerum <sup>se de-</sup>  
<sup>sedem</sup>

sedem omnes humani corporis partes laxæ & molles, sive internæ, sive externæ constituant. Siquidem, testantibus auctorū fide dignissimorum observationibꝫ, non modo in capite, facie, naribus, labiis; uulna, fauicibus, thorace, mammis, dorso, inguine & pedibus; verum etiam in hepate, ventriculo, utero, intestino recto, pulmonibꝫ, renibus, vesica, mesenterio, & pancreate, imo ipso in cerebro, cuius molliſſima tenerimaque textura est, varii generis exulcerationes progignuntur: etiamſi probe tenendum sit alteram præ altera partem ad ulcera citius ſuſpicienda magis eſſe diſpoſitam, quale quid præfertim in locis, ob plurimum canalium concurſum ſucculentioribus, inguinum, abdominis, ani, ute-ri &c. animadvertere licet.

## §. IV.

-- differentia inter se. Ulcera inter se ipsa discrepant: quam differentiam paucis juvabit exponere. Sic alia in profundum abeunt, ut ſint fistulosa & ſinuosa, alia in latitudinem ſerpunt, & dicuntur ſerpiginoſa, alia vero æqualitatem servant. Deinceps, alia ſunt benigna alia maligna; & illa quidem, quæ pus non adeo foetidum & corruptum, ſed magis album & ſincerum fundunt, remediisque faciliter obtemperant: hæc vero, quæ ichorem acrem, tenuem, lividique coloris foetidum alunt, & partes conterminas depaſcendo, non tantum pinguedinem & carneas fibras, ſed tendines quoque cum oſſibus aggrediuntur. Atque horum fere ſingula curatu ſunt diſcipliſſima, & Græcorum loquendi idiomate phagedæna, dyſepulotica, chironia & cacoethea appellantur. Pefſimi igitur moris ulceribus adnumerari debent cancroſa, ex partium glandulosarum tumore livido, ramulisque venarum inſignibus ſtipato conſpicua, qui apertus celerime proſerpit, partef-

que vicinas & ſubſtratas putredinofa corruptione depaſcit, ſinus formans & foveas, cum oris labiſſque turgidis, duris, & intolerabili foetore tetrico coloris materia junc̄tis. Malæ quoque indolis eſſe ſolent carioſa, ubi oſſa incipiunt corrumpi & ita exedi, ac ſi vermicibus tuiffent eroſa: id quod & nigredo & diſcilliſſum oſſium coalitio luculenter ſatis declarat. Referri huic etiam debent fistulosa, ex variis ſinuibus, ſive canalibus calloſis, indolentibus compoſita, & orificiis ſæpius arctis, præduriſ & calloſis cincta, quæ ſi cicatrice interdum obducuntur, materia copioſa acris, alias querendo vias, novo plerumque orificio foras prorumpit. Sed de his in ſequenti capite ſigillatim.

## §. V.

Cauſa ulcerum proxima & forma- cauſa  
lis a plerisque hoſtierni etiam ſevi formalit  
medicis acidæ corroſivæ eſſe naturæ est pur  
ſtatuitur. At vero, quum in ſanguine purum acidum nunquam detur, neque ullum ulcus, ſive ſit exedens canerofum vel carioſum, abſorbentibus, quæ acidum facillime tollunt, ſanari poſſit, nec denique foetor acidi præſentiam ſubindicit: veritati magis conſentanea illorum videtur ſententia, qui omnis in ulceribus excisionis cauſam non tam ſaline admixte acrimoniae, ſed potius formalit humoris putredini adſcribunt. Ea enim vis eſt ac potentia putredinis, ut non modo intestino motu texturam & unionem ſolidorum plane diſſolvat ac deſtruat, particuliſque ſulphurei a terrearum partium vinculo ſecendentibus foetorem excitet tæterrimum, verum etiam mirifice ſeſe multiplicando, humores & partes ſolidas accedentes eadem putredinis labo inficiat, conta- minet, corrumpat.

## §. VI.

## §. VI.

<sup>“ quod argu- ments docetur.”</sup> Verum eam vero, quum putredo, motu intestino fermentativo, ſe- cunda ſalinum & ſulphuris generatrix fit, minime certe peregrinam ſali- no-ſulphuream indolem in ulceribus ſinuofis excludimus: odor enim, pruri- ritus, & celerrima ſanæ partis cor- roſio ejusmodi ſalino-ſulphureum & acre principium clarissime demon- strant. Tum quoque in putredine vera later ratio, cur ulcera difficultil ſint curationis, oſſiumque caries, fi ſemel radices agerit, multo labore longiſſimo tempore exterminari vix queat; cum tamen, fi ſimplex tantum acidus & corroſivus humor veram ulcerum cauſam perficeret, is facili negotio poſlet corrigi penitusque inverti. Secus autem fieri ob- ſervamus in putredine, quæ, fi ſemel in corpore ſive animali, ſive ve- getabili fixa occupaverit ſedem, æger- rime excutitur, ſed ulterius ſerpen- do ſe propagat, niſi corruptæ a ſa- na parte exciſio instituatur. Et quid multa, vel ſola ulcerum curatio de putredinis præſentia nos plenius po- test convicere. Hæc enim quum me- dicamentis balsamicis, & fale vola- tili oleoso ſubtili turgidis, quæ ex- tinguedæ putredini accommodatiſ- ſima ſunt remedia, quam optime perficitur, facile poſt jugicari, pu- tredinosa effe indolis materiam, quæ in ulceribus peccat, tantarumque mo- leſtiarum cauſam ſuppeditat. Ve- rum enim vero, quum eadem ſit ſphaceli atque ulcerum ratio, & in utroque morbo putredo accusari vi- deatur; non immerito in quæſtio- nem venit, quomodo ulcus a ſpha- celo poſſit diſtingui. Nos itaque fun- datis adducti rationibus in ſphacelo magis putridam ſanguinis corruptionem, quæ propter copioſum alcali celerrime ſe propagat; in ulceribus autem feroci potius laticis corruptionem, qui ob ſalfedinem, quo ſca-

tet, non tam ſubito in putrefactio- nem ruit, accuſandam eſe con- ce- mus, nec quenquam facile delictu- rum eſe conſidimus, ſi hanc in di- ſcernendo cautionem adhibuerit.

## §. VII.

Sequitur jam, ut cauſas, quæ pu- <sup>cauſe</sup> tredinem hanc ulcerofam in corpore <sup>media</sup> muſcitan, diſpiciamus. Jam vero cer- <sup>tae</sup> tissima decet experientia ulcera ſe- pius a prægressis abſcēſib⁹, vel vul- neribus perperam curatis mu- tuari originem. Atque hoc fieri ma- xime deprehendimus, ſi vel aposte- mata non mature aperiuntur, vel ſi vulnera profunda a ſordibus non ri- te purgata nimis cito cicatrice obdu- cuntur. Tum enim materia purulenta intus retenta in foetidam abit putri- laginem, & ſinuofitatem formando, cum vicinis partibus ſimilem labem communicat. Neque minus ex in- flammata quadam parte frequenter apostemata, & ulcera gigantuntur. Sic enim in artis exercitio non raro ſolet contingere, ut interna phle- gmone pulmonum & pleuræ in em- pyema, inflammatio pancreatis, re- num, vesicæ, intestini recti & ute- ri, in ulcera mali moris tranſeat. Eodem modo exteine ab eryſipelate ſcorbutico, unctuosis male tractato ulcera oriri jam olim HIPPOCRA- TES ſett. VII. apbor. L. & lib. epi- dem. VI. ſett. III. §. 35 eleganter docuit. In partibus quoque glandu- losis tumores duri ſcirrhoſi, vehe- menter dolentes, inveterati, vel ma- le tractati, propter ſanguinem ni- mis viſcidum, trigidum & ad di- ſcuſionem ineptum ſuccelſu tempo- ris exulcerantur, & tum perſacile, niſi prudentis medici opera accedat, in pelliſimæ indolis ulcera fistulosa & cancria degenerant. Cuius quidem rei teſtes ſunt luculentiffimi mam- mæ, parotides, glandulæ ſubaxilla- res & maxillares & colli, muſculo maſto ideo inſtrata & ſubſtrata, nec <sup>nō</sup>

<sup>Diftri- men- ſphaceli ab ulc- ribus.</sup>

non glandulæ inguinales, quæ ex copiosis & angustissimis canaliculis tam sanguineis, quam excretoriis, folliculiisque membranaceis contextæ, ob stagnantem & coagulatum inibi humorem, duritatem induunt, & in scirrhum abeunt, qui perfacile inflammatur, & post inflammationem malignum ulcus relinquit. Accedit deum violenta partium contusio, quam pressæ ut ajunt pede, humorum sequitur stagnatio, inflammatio & ad putredinem propensio: quam ob rem etiam in extremis maxime partibus, ut manibus & pedibus, a graviori quadam contusione frequentes, easque periculi plenas ulcerationes comprehendere licet.

### §. VIII.

**visea** Ut ut vero ulcera violentam ple-  
rumque externam causam prægres-  
morbis & nihilominus tamen a  
causa etiam interna, seu vitiosa hu-  
morum viscerumque labe suam du-  
cunt originem. Sic GALENUS lib.  
*IV. de compos. med. serm. XX.* lienem  
& jecur male adfectum vitiosi humo-  
ris in ulceribus genuinam esse cau-  
sam judicat, & perite addit: his an-  
tea provisis ad consolidandum ulcus  
veniendum eise. Neque hujus rei ra-  
tio e longinquo erit repetenda. Ete-  
niam, quando impedito sanguinis per  
hepar & lienem circuitu, fortes ex-  
crementitiae non satis a massa san-  
guinea segregantur, non posunt cer-  
te non maxime in omnes humores  
impuritates redundare; quæ dein per  
stagnationem in subiectis præsertim  
languidis, facile ad majorem corrup-  
tionis gradum evehuntur. Atque  
ideo etiam fieri observamus, quod  
hypocondriaci, mensium vel haemor-  
roidum suppressione laborantes ca-  
chectici, scorbutici, hydropticæ & he-  
ctica tabidi, qui talem viscerum cor-  
ruptelam intus plerumque alunt, præ  
aliis ad ulcerum generationem sint  
dispositi. Quo etiam illi debent re-

ferri, qui post variolas, morbillos, febres & inflammations ulcera externarum partium cariosa dyspeplo-  
tica, internarum partium apostema-  
toda experiri solent; vix aliam ob  
causam, quam quod consumta san-  
guinis parte ballamica, tenui & nu-  
tritia, raliquis crux difficilius cir-  
cumagit, ideoque facile in effe-  
tam ac putridam abit diathesis; li-  
cet non raro uisu veniat, ut a præ-  
gresso morbo in sanguine materiæ  
relicta sit copia, quæ tanta posthæc  
mala excitare valet.

### §. IX.

Præter hæc vero, ætas juvenilis, <sup>tem-</sup>  
infantilis & senillis, habitus corpo- <sup>pera-</sup>  
ris laxus, spongiosus seu copiosus & <sup>mentum,</sup>  
exilioribus vasibus donatus temperamen- <sup>ætas, vi-</sup>  
tum sanguineo-phlegmaticum, in-  
temperantia in victu, aer tqualidus  
& humidus, & vita laboris expers  
&c. mirum in modum ulcerum ge-  
nerationi velificari solent. Horum  
enim omnium ea est indeoles atque  
potentia, ut sanguinem copiosum,  
&, ob languidores excretiones im-  
purum, multaque humiditate præ-  
ditum ingenerent: qua ratione non  
potest fere non accidere, ut exinde  
tardior, segnior, & impeditior san-  
guinis succedat circuitus, qui omnis  
cacochemia & impuritatis mater est  
fecundissima; sicut e contrario ve-  
getior sanguinis circulus omnes he-  
terogeneas partes a mixtione anima-  
li procul arcet, putredinemque egre-  
gie avertit.

### §. X.

Denique causis ulcerum remotis ju- <sup>re, cop-</sup>  
re etiam accenserí debet contagium, <sup>tagium,</sup>  
cujus beneficio plurimæ exulceratio-  
nes in sana corpora transferuntur.  
Enimvero, existimare qui posset,  
anon ulceræ infectionis contagiosæ  
sint expertia: at vero, quod ipsa  
perfacile, accidente immediato con-  
tactu,

tactu, sui indolem propagent atque multiplicent, non modo innumeris confirmatur exemplis, verum etiam vel unice ex comparatione morborum, qui eandem cum ipsis originem agnoscunt, elucere potest. Non enim rarum, sed artis exercitio frequenter obvium est, phthisin, scorbutum, luem venereum, scabiem, variolas &c. per familiare consortium & immediatum contactum in alios derivari; & SEVERINUS tract. de *viper* pag. 350. mirabilem refert historiam puellæ, osculo corpora insufficientis, ut plures adhuc alios notatu dignos casus silentio prætereamus. Neque adeo obscura hujus phænomeni ratio. Etenim, quum omne contagium a sola putredine proveniat, omnesque morbi, qui putredinem ulcerofam junctam habent, contagiosi habendi sint; nihil certe dubii est, quin etiam ulera, quæ putredinosi quid intus alunt, contagio inficere, aliisque corporibus vapore exhalante tetrorimo similem intestinum motum imprimere possint.

## §. XI.

Descri-  
pito can-  
cri oc-  
cultu-

Provisis omnibus, quæ ad universa ulcerum genera pertinere vîa sunt, jam ad singulorum explications transseam. Ex his autem præcipua sunt, & quam maxime medicam desiderant considerationem, ulcera cancri-formia sive canceri, qui nihil aliud sunt, quam tumores scirrhosi duri, in putridam corrosivam corruptionem partis solidæ, quam occupant, abeuntes, & plerumque lethales. Ita vero oriri & succrescere solet cancer: Primo nodulus sentitur duriusculus satis exiguis, vis pisi, aut avellanæ nucis magnitudinem superans, qui tamen ob spasticam fibrarum adjacentium nervarum stricturam subiude puncturas, ardentes & lancinantes dolores, per intervalla recrudescentes, inferre solet, satisque diu in hoc statu perfistere potest; donec majori humoris viscidi & impuri accessu, factaque ibi collectione,

canaliculi obstruuntur, & demum nimium infarcti rumpuntur. Unde tumor non solum in ingentem sæpius molem attolitur, sed & sanguine in vasis coagulato per cutim transparente, colorem prorsus lividum & plumbeum induit, vasaque circumiacentia in varicosam turgescientiam explicantur. Quæ omnia si ita fiunt certisque signis deprehenditur, cancer adesse dicitur occultus. Quodsi vero, & a- vel propter improvidam emollien-  
titim & acrum irritantium applica-  
tionem, vel ob majorem massæ san-  
guineæ orgasmum, major tenuum humorum adfluxus proritatur, & hoc modo coagulum spissum & acido corrosivum nimio humidum dis-  
solutum fermentationem concipit pu-  
tredinosam, tunc utique circumja-  
centes, & dein etiam profundius sitæ partes sub atrocium dolorum con-  
cursu putrida corruptione depascun-  
tur, saniesque & ichor subridentus fetidissimi ac vere cadaverosi odoris funditur; imo quandoque larga san-  
guinis sinceri ex vasis erosis contin-  
git emanatio. Atque talia ulcera can-  
cri exulcerati nomine insigniuntur.

## §. XII.

Quo maiores vires cancer hic exul-  
ceratus recipit; & quo magis corru-  
ptio increvit, eo pejora accedunt  
symptomata, ut fere sunt: hectica  
febris cum insigni corporis extenua-  
tione, ciborum fastidium, summa  
virium proflatio, inquietudo, afflu-  
entes vigilæ & anxietates; imo de-  
mum cerebriora animi deliquia. Et-  
enim, vaporibus putridis per poros  
& vasa venosa resorptis fluidum  
sanguineum, quam nervosum  
tenuissimum & purissimum infici-  
tur, adeoque tonus, robur & vis  
partium solidarum systaltica mirifice  
labefactatur.

## §. XIII.

Occupant præcipue pessima hæc  
ulcera mammas feminarum, qua-  
rum præ-  
ex copiosis sanguiferis, lactiferis, cipue in-  
vadat?

Cur  
mam-  
mas fo-  
mina  
vadat?

lymphaticis & valde angustis canaliculis, in spiras & plicas coalitis contextæ sunt; ubi quam facilime sive humor sanguineus, sive lacteus & lymphaticus stagnare, colligi, & infixus manens summam acrimoniam & putredinem concipere potest. Si quidem sanguis motu suo privatus in angustis meatibus non aliam, quam sphaceloso-putredinosam alcalinæ indolis corruptionem induit; lac vero & lympha subsistens in corruptionem potius acidam & corrodentem abit: quæ dum putredini quodammodo resistit, fieri solet, ut non tam subito, sed per eximiam sæpe moram putrida consumtio serpat, partesque vicinas erodat, & exulceret. Neque vero tantum mammæ, sed etiam quæcunque alia, copiosis vasculis instruta, glandulosa & fibrolo nerveæ partes, ut facies, labia, genæ, nasus, oculi, lingua, gingivæ membrum virile & uterus, tam extrinsecus quam intrinsecus ejusmodi tumoribus malignisque ulceribus tentantur, quæ tamen magis inter excrescentias & carcinomata corrosiva exedentia referri debent.

## §. XIV.

*Causæ* Hactenus generalem canceri histosent hæriam descripsisse sufficiat. Verum mortis horum vero, quum omnis cancer in mensu principio verus fuerit scirrus, seu supras partium glandulosarum tumor præternaturalis, durus, asper & doloris expers; videamus primum quænam causæ ad hujus generationem, sive ad materiæ in locis glandulosis stagnationem, spissitudinem & coagulationem contribuant, & dein, quæ scirrhosam duritatem in ulcus convertant. Ad primum quod attinet, cerebriori constat experientia, quod feminæ potissimum, quibus menstrua circa quinquagesimum ætatis annum deficiunt, vel quæ spasmodicis hypochondriaco-hystericis pathematibus laborant, facilime diris istis tumoribus adficiantur: id quod similiter evenire solet virginibus & mulieribus etiam nondum adeo adultis, si quan-

do diurna mensum suppressione ægrotant, neque minus iis subiectis, quæ fluxui hæmorrhoidali adiuxta, hujus defectum sentiunt. Quodsi enim sanguis hoc derivatus non excerni amplius potest, ad alias partes regurgitat, & deinceps ob languidiorum motum spissior factus, variaque ad loca glandulis obsita depositus, facile scirrhum in utroque se-xu producit.

## §. XV.

Maxime autem omnium tale quid contingere deprehendimus, si diuturna mœritia & acerba tristitia, vel & terror etiam terror inopinato excitatus concurrit; quoniam nihil fere magis, quam graviora hæc animi pathema-ta sanguinem crassum, & ob transpirationem aliasque excretiones prohibitas, simul impurum ingenerare valet. Et hinc est, quod multi longa tristitia confecti scirrhos in pancreate, mesenterio & hepate habeant, atque feminarum plurimæ ex repentinno terrore, circa mesum fluxum oborto scirrhosa mammarum tuberculæ retinuerint: quale quid etiam in mulieribus ubera præbentibus observare mihi licuit, sine dubio, quia lac per terorem repulsum & in ductibus lactiferis accumulatum stagnando spissum subit coagulum, & scirrum procreavit, cujus certa signa sæpe non prius, quam desidente menstruorum fluxu se manifestarunt.

## §. XVI.

Pertinet huc quoque victus durus, vidus austerus & salsus, ut sunt carnes fuscæ & potus incommuni induratae & multum salitæ, pisces marini, lentes, pilæ, fabæ, acetaria, ut & potus parcus & consistenter, cum omnibus reliquis, quæ crudum ingenerando chylum, sanguinis massam lentore & spissitudine inficiunt. Longe vero major inde vita noxa redundant, quando sedentaria & expers laboris vita accesserit: unde fieri observamus, ut virgines vestales & cœnobitis inclusæ, ob vitam desidem facile mensum suppressionem

sionem & cachexiam, abhinc vero non raro in scirrhos, in primis mammarum, incident. Aliquid tamen si-  
- tem-  
peram-  
tum. mul temperaturæ hominis in hoc ca-  
su tribendum est, quæ si melancho-  
lica est, & succi in corpore viscidi  
minusque temperati foventur; major  
semper & certior metus est scirrhi,  
quam in aliis, quorum succi satis  
sunt fluidi & in justa temperie con-  
stituti.

### §. XVII.

hære-  
ditaria  
disposi-  
cio. Neque præterea in tumoribus glandularum ingenerandis parum si bi vindicat ipsa hæreditaria dispositio, quæ sicut morbos in vito solidorum fundatos perfacile ex parentibus in liberos traducit; ita quoque plures ad scirrhosam labem faciliter suscipiendam reddit proclives: quod quidem plurimis exemplis familiarum, certa ætate scirrum & cancrum incidentium probare possemus, si latius excurrere instituti ferret ratio. Si quid vero denique ex omni causarum serie ad frequentem horum tumorum generationem contribuit, sunt profecto externæ violentiæ, per contusionem, compressionem, lapsum, puneturam, vel aliam quamcunque vim illatae. Sic enim novi feminas, quæ inter jocos cum marito a sola fortiori mammarum contrectatione loco jucunditatis perpetuum morbum & iuctum reportarunt. Sub talienim contusione, utut leviori, vascula minima quasi rumpuntur, & humor folliculis glandulosis inclusus comprimitur, moraque diuturniori spissescit, & in duram massam abit; unde scirri origo.

### §. XVIII.

Cancer  
apri-  
ca et  
inflam-  
matio. Quæ scirrum in ulcus cancerosum convertunt causæ, iterum variae sunt, & quidem ex his nonnullæ, quas jam attulimus. Tum autem cancer oriri solet, quando scirrus, qui colore albus est, fit rubicundus, cum dolore lacerante & summe urente, ac si ferrum candefactum per partem duceretur. Quod enim si accidit, indi-

cio est, scirri inflammationem fieri in margine, & vasis per ipsum de currentibus, quæ adhuc aliquam admittunt circulationem. Dein tumor fit cineritus & lividus, & vasa sanguinea varicosa atro sanguine turgida intra cutim & pinguedinem apparent. Demum talis tumor aperitur & labia acquirit prætumida, aspera, retrorsa, dura & inæqualia, faniem fundens putridam terti odoris atque tam acrem, ut adjacentes partes & linea exedat, quasi esset combusta. Unde facillimum judicatu est, quod inter causas cancrum inducentes primo omnium referenda sit inflammatio, & ad hanc quæ confluunt causæ, scirrum quoque in cancrum possint convertere. Ex harum vero numero sunt: sanguinis, ob deficientes menses & hæmorrhoides major ad parte debilem affectam regurgitatio, nimius animi & corporis motus; ex alimentis dura, salsa, acris, alliacea, aromata, piperata, fructus acidi, acerbi, austeri & immaturi copiosius comesti, item quæ alvum constringunt, ex potulentis spirituosa, ut vinum & spiritus vini, ad ebrietatem usque hausta; ex medicamentis internis omnia exagitantia tam sudorifera, qua fortiora purgantia, ex reliquo vita regime aer frigidus borealis, improvide laboranti parti admissus. Namque hæc omnia ita sunt comparata, ut humorum motum ad partem scirrhosam magis determinando, facile inflammationem, quæ proxima veri cancri causa est, excitent atque accendant.

### §. XIX.

Longe vero citius longeque certius scirri in cancerum fit mutatio, si Qæ am-  
plus ce-  
censur.  
tur. ægroti sunt cachectici, vel ad talem provecti ætatem, quæ impuris & terribribus succis in corpore progignendis favet: quoniam sub tali corporis dispositione indies malum augetur, tantum abest, ut medicamentis obediens quicquam de ferocia sua remittat. Contrarium vero contingit in euchi-

euchymis, seu bonos humores habentibus, in quibus cancer occultus per plures annos tolerari potest, si modo omnia motum sanguinis nimis augmentia provide caveantur. Ita TULPIUS recenset exemplum feminæ, quæ per plurimos annos in sinistra mamma durum & inæquale gessit carcinoma, sine ulcere sine ulla graviori noxa; donec tandem increcente post tot annos dolore & pruriitu malum hactenus quietum a medicamento erodente per empyricum applicato in carcinoma ulceratum brevi degeneraverit, cum latiis inversis, crusta cinerea, sinus deformati, tubere inæquali, colore livido, sanie cadaverosa, acerbissimo dolore, vigiliis, animi deliquiis, aliisque conclamati cancri notis. Præter hæc, notatu dignum est momentum, quod in sequiori sexu scirri upplurimum non prius in cancrum inclinent, quam mensibus per ætatem terminatis, sine dubio, quia tum temporis plurimæ feminarum sunt cachecticæ, & fanguis, qui antea salutariter excretus fuit, nunc retinetur. Quantum autem saluberrima mensium excretio in tali casu præstet commodi, inter alios testis est BALLONIUS, qui lib. I. epid. pag. 57. exemplum profert abbatissæ, mammarum scirro laborantis, cui sub nimio menstruorum fluxu mammae detumuerunt, & malum mitescere visum est, suppressis autem mensibus denuo increvit.

## §. XX.

**Scirri & cancri uteri descriptio.** Quod speciatim ad malignum uteri scirrum & cancrum attinet, hujus quoque causæ breviter erunt suppeditandæ, præmissa tamen antea di ri hujus mali historia, quæ ita se habet. Primo dolor oritur in inguine continuus, qui sensim paullatimque totum hypogastrium ab osse pubis ad umbilicum usque occupat; hunc postea sequitur glandularum, circa colum uteri, & maxime orificium ejus internum confidentium tumor durus,

compressioni renitens, rotundus, inæqualis, qui, si contrectetur, ad ægræ sensum dolore pungitivo molestus est. Urina redditur crassa, confusa, & alvus ingestis minus respondens adstricta est. Si inflammatio accedit ulcerosa, crebra ad lipotymias, utut leviores adeat propensiæ, materia profluuit putida, foetida & sanguis, flavi & cineritii coloris, cum sanguine mixta, quæ adeo acris est, ut non modo uteri membranas arredat, sed & ad intestinum rectum descendens hoc exedat, ut stercore cum fluore uterino prodeant. Ingravescente demum malo, pulsus fit magnus & celer, accedit tabida corporis consumptio, seu atrophia, jungitur febris hecticæ, & tandem omnium miseria rum finis, mors Sectione post mortem instituta uterus inflammatuſ & sphacelatus cum irfami odore deprehenditur, & perrupto utrinque pariete, in vesicam & intestinum rectum aditus fæpissime patet; unde urinæ cum foeda uteri sanie, vel cum alvi excrementis commixtio.

## §. XXI.

Inter causas ad teterimam hanc- & caus. ce adfectionem concurrentes præcipue referri meretur diutinum fluoris albi stillicidium, vel mensis fluxus suppressus in feminis mellancholicis, hypochondriacis, cachecticis & ætate provectionibus. Sæpe etiam talis scirrosa uteri labes suboritur, si nimius mensis fluxus adstringentibus improvide fuerit cohibitus; unde etiam ovarium & Fallopianas tubas scirrus occupat & sæpe sterilitatem mulierum perpetuam infert; sicut aliquot mihi cognita sunt exempla. Præcedit quoque, præsertim in puerperis, uteri inflammatio: quare in artis exercitio frequenter annotare licet, quod pars uteri inflammata, ob frigus externum accedens, quam facile in scirrum abeat, qui dein exulceratus cancer uteri fit insanabilis. Idem quoque malum experientur mulieres post exantlatum difficiliorē partum,

partum, quo uteri, ejus colli & vaginae parietes nimis compressi perfacile duritatem contrahunt, quam successu temporis verus cancer sequitur.

## §. XXII.

Prognos. His ulcerum in genere. His ita expositis, quæ ad ulcerum cuiuscunq; generis generandi modum pertinent, sequitur jam, ut in prognosi ferenda proprias notas explicem, quæ vel ipm, vel metum injiciant. Hoc autem in genere notari velim, omnia illa ulcera, quæ in articulis, capitibus muscularum, malleolis, tibiis, partibusque tendinosis & nervosis tam pedum quam manuum oriuntur, temporisque diutinitate vel in fistulas, vel cariem & consumptionem totius partis abierunt, nullius, aut difficillimæ esse sanationis; quoniam ob doloris acerbitatem in ejusmodi locis nec secare, nec canales ampliare licet, sed partem affectam abscondere præstat, si quando æger talem operationem sustine-re & velit & possit. Pariter quoque in lingua difficillimæ sunt sanatio-nis ulcera, ob continuum, quod jun-gi solet sputum viscidi & glutinosi laticis, difficilèque deglutitionem & dolorem lancinantem, qui ad au-reum lateris affecti quandoque porrigitur: unde verissime Acriptit CEL-SUS lib. VI. cap. XII. quæ in latere lingue nascuntur ulcera, diutius du-rant. Pessima quoque sunt aurium ulcera. Præcedere hæc solent inflam-mationes & dolores intolerabiles te-re, qui teste CELSO ad dementiam mortemque ipsam non raro præcipitan-t: id quod potissimum de juvenili & virili aetate, non item vero de infantili valet. Protinus itaque inter initia succurrentum est hisce ul-ceribus, quia, si inveterata fuerint, & putredo jam ipsa ossa inficerit, plerumque sanationi nullus superest locus. Pertinaciter quoque medelæ resistunt ulcera, quæ narium & fau-cium ossa, uvulum, ossumque capi-

tis sinuositas in nares se terminan-tes occupant, præsertim si ex luis ve-nereæ, & scorbuti male confirmati reliquis oriuntur, quod genus morbi Græci ozænam appellant. Pluri-mum vero crustas odoremque feedif-simum habent, & tenerrima officula per cariem in fragmenta resolvunt, quoniam ad affecta loca la-tentia virtus extenorū minus apte potest pertingere. Demum quoque prava sunt inveterata parotidum & glandularum maxillarum ulcera: per-facile enim, in fistulas degenerant.

## §. XXIV.

Præter hæc curatu difficillimis ac-censeri debent, quæ vesicæ innidu-lantur ulcera, & ex assidue perinæ i dolore, crebriori, & dolorifico mi-ctu atque sedimento urinæ sanioso graveoiente cognosci solent. Ager-ri me enim ad ipsa remediorum ac-cedit virtus, & non modo liquo-rum injectiones facile lœdunt partes, sed & perpetuus urinæ acris affluxus consolidationem impedit. Accedit, quod vesica veterum loquendi idio-mate pars frigida, seu pauci sanguini-particeps sit, ad quam nec interna quidem remedia facile possunt pe-netrare. Ardua identidem est inten-si recti prope sphincterem ulce-rum sanatio. Facile enim callosa, profunda & fistulosa sunt; & ob continua fæcum & humiditatum adfluxum & transitum extergentia & consolidantium energia labefac-tatur. Ulcus quoque in urethra ex gonorrhœa natum non exigui est momenti, & nisi cito curetur, pe-simæ junguntur carunculæ, quæ urinæ meatum obstruentes multum facessunt negotii. Ne tamen vesicæ & urethræ ulcera, ut facile fit, inter se confundantur, sciendum est, in hisce pus urinam præcede-re, & dolorem inter omnem in-jectionem acerbum adesse, membrum tensum fieri, & ad infernum curva-ri, cum e contrario in vesicæ ulcere

non tam sèvus & continuus inter  
mejendum in urethra adsit dolor,  
nec pus sensim, sed cum urina ex-  
cernatur, lotiumque frœteat.

## §. XXV.

<sup>in ulce-</sup> Tandem in genere & axiomatis  
rum a instar practici habendum est omnia  
<sup>a causa in-</sup> ista ulcera, quæ ex causa proveniunt  
interna, & magna succorum seroso-  
rum impuritate sustentantur, nun-  
quam tere non difficilis esse sanatio-  
nis. Testantur hoc ulcera serum,  
scorbuticorum, hydropicorum, cache-  
xia laborantium, vel ex hæmorrhoi-  
dum & mensium defectu ægrotan-  
tium, quibus depravata & a natura-  
li crassi longe multumque deflectens  
sanguinis & humorum est conditio  
quam nisi quis auferat, quod tamen  
longum requirit tempus, incassum la-  
borabit. Optimus medicinæ parens  
HIPPOCRATES sua jam ætate id  
ipsum satis intellexit; quare de hy-  
dropieis speciatim *Sect. VI. apor.*  
*VIII.* ita censet: *aqua inter cutem*  
*laborantibus exorta in corpore ulcera*  
*non facile sanantur.* Cui adsentitur  
GALENUS, qui lib. V de atrabi-  
le pereleganter scribit: *ubi adeat ca-*  
*llida intemperies, aut lienis vitium,*  
*maligna sunt ulcera, & difficiles cu-*  
*rationes, quia corruptis visceribus in-*  
*gens continuo impuritas succis in-*  
*funditur.*

## §. XXVI.

<sup>Prognos-</sup> De cancro utroque breviter sequen-  
<sup>sis can-</sup> tia annotasse juvabit: scirrhus quo  
cordi est promixior, & quo majora  
habet vasa arteriosa, eo plus est pe-  
riculi, ne in cancrum abeat, quo  
minor vero est, & quo minus asper,  
eo melior. Cancer quo deteriorem  
spirat odorem, & quo magis corro-  
sivam fundit saniem eo pejor est. Tum  
enim vera adeat putredo. Æstima-  
ndum autem est cancri periculum ex  
loci, in quo residet dignitate & ad  
vitam necessitate. Sic enim peius est  
cancrosum ulcus internum, quam ex-  
ternum, idque eo magis, quia intrin-  
secos non licet secare, nec urere, nec

aliud quidquam tentare. Præterea,  
omnis cancer in ea parte, ubi glan-  
dulae plures communicant, est pessi-  
mus, & facile ad aliam partem tran-  
sit. Ita scimus, quod mamma una  
extirpata malum ad alteram serpe-  
rit, sive axillares glandulas occupa-  
verit. Hæmorrhagia quo largiores  
sunt, ut sæpe fit ex utero cancroso,  
eo celerius ægroti interminuntur; id  
quod similiter fit, si febris lenta &  
hectica accedunt, & crebriora animi  
sunt deliquia, quæ mortem plerum-  
que post se ducunt.

## CURATIO.

## §. I.

**Q**ui ulcerum curationem suscep-  
turus est medicus, primo om-  
nium debet animadvertere, num a  
causa interna toveantur, & uterum  
plethora sive eacochymia præsens sit.  
Hæc enim nisi prius amoveatur, om-  
nis externorum usus, vel exiguus, vel  
nullius erit effectus. Quodsi igitur  
simplex adeat plethora, quæ felicem  
curationis successum impediare vide-  
tur, sanguinis copiam vel venæsec-  
tione, vel in laxoribus subiectis sca-  
rificatione juvabit detrahere: sanguine  
enim defluente secundum HIP-  
POCRATEM lib de humoribus *sect.*  
*XI. §. 7. ulcera gracilescantia, siccio-*  
*ra fiunt, & minora: probibet enim*  
*boc maxime, talia ulcera bumeclaris.*  
Quin etiam in nonnullis sola fonti-  
culorum applicatio ulcerum confoli-  
cationem permultum adjuvat, quia  
tali ratione ex parte seri impuri fit  
derivatio, ne tantus fiat humorum  
ad ulceram adfluxus. Non iam tamen  
a consuetis sanguinis evacuationibus  
sive per menses, sive per hæmorrhoides  
suppressis utplurimum molestæ il-  
læ cutis & carnis defædationes oriun-  
tur; videndum est, ut, quantum li-  
cet, solennes istæ excretiones in or-  
dinem reducantur. Quo fine vel ve-  
nam pedis aperire, vel in viris hiru-  
dines

Curati,  
interni  
absolu-  
tor fab-  
culis  
missio-  
ne.

- fonti-  
culis.

dines anno adponere expedit, quarum usum jam probatum innuit AVICENNA teste Guidone tract. VII. de phlebot. cap. 1. *birudines*, inquit, *prosunt in ulceribus malis evanescientiorum & difficilis maturationis, in que partibus, quas teneritudine reveremur attingere, quales oculi sunt & nares, & gingivæ, pudenda, manus, pedes & partes denudatae carne, ut junctura, & denique in pueris.* Neque dein præter hæc omittenda sunt medicamenta interna, salutares has excretiones revocantia; quia virtute in primis pilulæ leniter alæticæ, ad BECCHERI, STAHLII & nostram methodum confectæ, splende-re solent.

## §. II.

Tum quoque, præsertim in rheumaticis subiectis serum copiosum impurum, quod nocente suo adfluxu consolidationem moratur, per alvum debet educi: quam in rem egrægia sunt verba HIPPOCRATIS loc. cit. sect. IV. §. VI. depurgatio ventris deorsum plurimis ulceribus confert, & in ulceribus, quæ sunt in capite, & in ventre, & in articulis, & in quibus corruptionis periculum est, & in his, quæ consuta sunt, & in exedentibus ac serpentibus, & in aliis inveteratis ulceribus. Quoniam tamen non omnia promiscue pharmaca hoc fine prosunt, ea maxime in usum decet vocare, quæ balsamica & simul aperiente pollent virtute, ut fere sunt, infusa vinosa, ex speciebus balsamicis & leniter laxantibus confecta, nec non pilulæ sic dictæ balsamicæ, ex extractis amari-cantibus & gummatibus balsamicis paratæ, atque interdum cum meren-rio dulcificato remixtæ, quæ repetitio usu eximiam præstant opem. Quodsi autem in ulceribus curandis purgationem vel phlebotomiam variæ prohibent circumstantiæ, magnum profecto præsidium residet in abstinentiæ, seu inediæ cura, quæ humores superabundantes mi-

nuit, impuros depurat, lentosque & viscidos dissolvendo, hos ad traciendum per minimos viscerum canaliculos aptiores reddit: quam ob rem ab antiquissimis medicinæ temporibus simplex hæc curandi methodus magno in pretio fuit habita, & a nobis quoque in omni cachochymia evertenda summo con fructu adhibita fæpissime.

## §. III.

Quando speciatim scorbutica, sa-limo-viscida humorum dyscrasia cau-sam ulceribus & nutrimentum sup-peditat, vel si pessimæ luis venereæ reliquiæ accusandæ sunt, nec datur melior, neque securior hisce malis occurrendi methodus, quam per decocta sanguinem depurantia, largiori in copia hauiienda, quibus in languidioribus subiectis, præsertim venereæ scintillulæ emicant, guajacum potest adjici, cum sal tenueretinosum cum copiosa aqua in sanguinem delatum, fibras vasorum animatido, viscosos humores attenuat, & per omnis generis emunctoria egrægie educit. Qua quidem in re & mea ipsius experientia, & Nic. MASSÆ tubactum judicium, in epist. XXIX. prolatum, satis me confirmat, ubi insignis hic auctor ita disserit: *decoctione ligni indici per convenientem tempus, videlicet per quadraginta dies summe necessaria est. Darem vesperis & mane cyathum vinum aquæ decoctionis; secunda vero decoctionis a-quam darem ante prandium & per totum diem ad libitum, etiam in nocte, si bibere voluerit, quoniam hoc universale est, maxime in ulce-re diuturno quod quanto plus ager biberit, tanto melius liberabitur.* Non raro autem incidit, ut in foedissimis ulceribus, ex venerea maxime dñs ex lue oriundis hæc decocta non sufficiant: quare tum omnino ad potentiora tam antiimonialia, quam mercurialia remedia deveniendum est, quibus sine molesto salivæ profluvio gravissimi hi morbi sanantur tutissime.

me. Spectant autem ex mineralium familia huc maxime tinctura antimonii acris, regulus antimonii medicinalis, cerussa antimonii &c. & mercurius noster diaphoreticus, cuius parandi & adhibendi modum supra jam *in cap. de lue venerea pag.*

170. satis ostendimus.

§. IV.

<sup>•• aqua  
comun  
ni & mi  
nerali.</sup> Si quid vero ex omni internorum remediorum classe ad curationem ulcerum feliciter peragendam multum contribuit, est protectio aqua vel pura, vel spiritu minerali imbuta, quæ liberalius hausta scorbuticæ sanguinis impuritati emendanda apprime quadrat, atque ideo ab HIPPOCRATE lib. de ulcer. sect. I. §. 8. eximie commendatur, dum adserit: quod modicus cibus & aqua quam maxime omnibus ulceribus conduceant, magis tamen recentioribus, quam vetustioribus, & si quod aliud ilesus inflammatum esset, aut inflammationem minaretur, vel si periculum esset corruptionis. Nobiliorem autem virtutem utique exserunt in ulceribus omnibus, iisque maxime a viscerum quadam labo proficiscientibus sanandis acidulæ & thermæ, ut nominatim sunt acidulæ Egranæ, Pyrmontanæ, Spadanæ, Selteranæ, & thermæ Carolinæ, quarum usus in tali casu penes omnes scriptores est decantatissimus, & effectus longe saluberrimus; siquidem copia & fluxilitate sua obstructos meatus referant, viscidos & falsos humores diluunt, & impuritates per alvum & urinam commodissime eliminant. Exemplo sit vel solum ulcus vesicæ, quod inter rebellia & pertinacissima solet referri, & nihilominus fontis Spadani, vel Selterani cum lacte usū persæpe feliciter sanatur.

§. V.

Inflammationis internæ ulcerum curationi subveniunt; nunc, quæ extrinsecus operem ferant, dispiciamus. Jam vero in omniis nibus fere ulceribus quædam occur-

runt impedimenta, ut sunt fordinies, inflammatio, humorum adfluxus, carnis excrescentia, cicrhus, nimia cavitas, labiorum durities, caries, ossis fragmenta & similia, quæ prius sunt removenda, ante quam a sarcoticis & exsiccantibus laudabilis sperari possit consolidatio. Primo autem omnium expedit inflammationem tollere, de qua Galenus metb. lib. IX. cap. XII. hæc præcipit: Si ilesus carum junctum est cum inflammacione partis circumstantis, nisi inflammationem auferes, ilesus fiet fordinius & magis carum. Atque tali in casu conferit interne diaphoreticum nitrosum cum aqua florum sambuci exhibitum; extrinsecus vero parti affectæ saturnina cum camphora decet admoveare, quæ omnibus reliquis in tali negotio sunt anteferenda: sicut contra in rheumaticis ulceribus, ubi perpetuus in partem imbecillum serit adfluxus consolidationi resistit, fasciæ sive ligaturæ, vino austero rubro imbutæ, totique membro involutæ, partem firmando & hostile humidum avertendo, omne absolvunt punctum.

§. VI.

Si ulceræ sunt dysepolotica, & labia nimis tumida cum cavitate pauculo majori, vinum cum lithargyrio, dicas thure, myrrha, bolo &c. coctum excellenter se gerit. Quodsi autem nimia, quæ in apostemate magnoque ulcere adest, cavitas impuris scatet fordinibus, quæ agglutinationem prohibent, ad mundificandum tetroisque ichores abstergendos spiritus vini injectio, præsertim in putridis & sensus expertibus antiquis ulceribus optima est, eujus usum in tali casu efficassimum deprædicat VALLERIOLA lib. V. obs. 1. his verbis: mira prosector vis est in detergendis ulceribus & glutinandis, præsertim nervosarum partium, ut diurna observatione nobis est comprobatum, qua nibil præstantius. Idem quoque probatissimus auctor loco citato in siuofis magnis ulceribus efficacem com-

commendat injectionem, quæ quia utilissima, crebraque usu a nobis explorata est, huc transcribi meretur: Rec. ligni sancti subtilissime pulverifati, corticis ejusdem ana uncias duas, aristolochiae longæ, centaur. min., absynthii, agrimon. caudæ equinæ, fol. oleæ, myrthi, pimpinell. consolid. mai. ana manipul. unum, cort. thuris, myrrhæ, sarcocoll. ana unciam dimidiam, vini rubri libras tres, mellis despumati uncias quatuor. M. fiat omnium decoctio: ex cujus colatura fiat injectio in ulcus, addendo hora injectionis aquæ vitæ el. un. ciam unam pro qualibet vice. Quandoque etiam, ubi ingens sorditie, putredo & corruptio adfuit, ego aquam, cum viride æris decoctam, aut lixivium scoriarum reguli antimonii, eximiam tulisse opem memini. Mox enim hæc ipsa corrodunt & nigredinem inferunt, sicut in unguento ægyptiaco animadvertere licet, quod dentibus admotum, hos protinus nigro colore inficit.

### §. VII.

*Rene-dia ex-crescen-tia; ca-rei & ul-cerum finito-sum.* Ad duritiem, & carnis exerescentiam extirpandam, nihil adhuc præstantius innotuit lapide infernali, & mercurii præcipitati, aluminisque usi culere. Caries autem, quæ tam olfibus quam ulceribus summae est perniciei, felicissime sœpe, licet difficulte tollitur oleo puro & minus fuscato caryophyllorum, quo cum aliquoties, non neglecto internorum usu, inveterata & pro insanabilibus babita narium & faucium ulcera ex voto persanavi. Mirifice enim oleum hocce æthereum putredini resistit, & subtilitate sua in minimos ossium tubulos penetrando, ulteriorem putredinis progressum impedit. Sed necesse est, ut in tempore & proxime affectæ parti adhibeatur, si inde auspicatus obtineri velit effectus. Quodsi autem admodum magni & profundi adsint sinus, & sive in fistulis, canaliculi occulti hinc inde distorti, tum certe res majorem exigunt dexte-

ritatem, & optimum solet esse auxilium, ut occultæ & latebrosæ hævie vel discindantur & aperiantur, vel etiam opportunis turundis, amplientur, quarum omnium optima & per diuturnam experientiam probata est, ex oleo & cera assatis facta & compresa. De scirrhis autem & fistularum callositatibus in sequenti bus seorsim dicetur.

### §. VIII.

Remotis igitur obstaculis, quæ sanc-tationem præpediunt, aggredienda est ipsa ulcerum occlusio & curatio, ubi statim se offert quæstio, an statim sarcoticis exsiccare, an prius pus movere conveniat. Quodsi vero meam interponere licet sententiam, minime certe pro sanando ulcerare protinus topicis siccantibus uti statuo; qua quidem in re inter alia plura exempla confirmat me insignis SANCTORII locus, quem *de indicantium aequilibrio lib. XV. cap. VII.* habet: *vidimus in Hungaria empiricum, qui ob bujus methodi inscitiam miserabile ulceratum bominem tractavisse. Hic erat miles ulcerare sordidissimum pblegmone correptus, empiricus utebatur exsiccantibus. His ulcus modo videbatur sanari, at modo sordidius & magis cavum effici, & nunquam poterat ad sanitatem pervenire. Tandem me in consilium vocavit. Novi inflammationem mangis valere, quam ulcus & cavitatem, eamque alio modo non tollere quam suppurantibus. Iussi itaque, ut farina, lac, & pinguedines applicarentur, post quorum usum brevi apparuit album pus, quod erat signum, humoris esse concoctos & suppurationes. Atque utilissima hæc cautio, in qua vis ulcerum curatione merito debet attendi, purisque generatio exsicationi præmitti, si modo caveamus, ut ne unguentis pinguis id perficiamus, prout rectissime docet HIPPOCRATES liber de ulcer.*

*ulcer.* §. IV. qui oleum & quæcunque molia aut oleosa medicamenta ulceris applicare negat, nisi jam valde ad sanitatem tendant. Multo magis totum curandi negotium eo reddit, ut in ulceribus, quæ nervosas, tendinosas & membranosas partes occupant, mera balsamica adhibeamus, ex quibus eminent essentia succini, balsamus Peruvianus, sulphuris, oleum hyperici & similia, quæ vel sola, vel melle temperata omnia explent, quæ ad expeditam consolidationem contribuunt. Si vero carnosâ loca patiuntur, unguentum ex terebinthina, gummi elemi, myrrha, vitello ovi & melle confectum omne absolvet punctum. Demum, ad incarnationem præstantissimum est balsamum Peruvianum; & si nimia adfuerit humiditas, terra vitrioli dulcis, ocu-li cancer, vel antimonium diaphoreticum inspersum in exsiccando egre-gie se gerunt. Neque emplastris carere possumus, ex quibus saturnium, di-pompholygos, opodeldoch & stipticum maxime in præsenti negotio debent commendari,

### §. IX.

*Catapla-* Sunt quoque, præsertim chirurgo-matum plurimi, qui cataplasma in fa-nandis ulceribus multum prodesse contendunt. At vero, quid de ho-rum usu statuendum sit, edocere nos poterit HIPPOCRATES qui lib de ulcer. ita perite differit: quædam ul-cera cataplasma ferre nequeunt, magis autem recentia, quam vetustio-ra & quæ sunt in articulis, & in lib. de medico scit. X. .IV. hæc ha-bet: cataplasmate per ambitum ulce-ris utaris. Nam hic ususcataplasma-tis & artificiosus est, & multum prædesse potest. Videlur enim ulcera opitulari vis eorum, quæ circumpo-nuntur. Linteum autem conterendum est, ac emolliendum, quia partibus extra viu-us circum-sitis cataplasma prodest. Quibus divus ille senex vide-

tur innuere, non esse hoc remedii ge-nus proxime parti adfectæ, quani potius ad ambitum eius adPLICANDUM. Siquidem cataplasma, ex herbis di-scutientibus, sale tenui oleoso turgidis & in vino coctis parata magnam obtinent potentiam, humores in va-sis vicinis stagnantes corrigendi, & balsamica virtute ad promptiorem mo-tum melioremque temperem reducen-di, sicut vel unice in discutiendis tu-noribus licet animadvertere.

### §. X.

Aggredimur jam morbos difficulti-mos sanandos, scirrum atque can-crum, qui ubi semel vires sumserunt, interna-  
curatio. omnem respuentes artem ad lethum ducent miserrimos ægrotos. In ipsis autem, si internam spectamus opem, omnia prope similiter convenient reme-dia, quæ in generali ulcerum cu-ratione prodessæ diximus. Prosunt enim decocta diluentia & sanguinem pu-rificantia, prosunt diaphoretica & le-niora laxantia, ut fere sunt portio-nes, quæ ex foliis, sennæ l. stipit. drachma una, rhubarba, electi scrupulis duobus, tremor. tartari drachma una & dimidia, manna electa uncia una & semis, invicem in aqua com-mun. uncis octo solutis pro una do-si confici possunt; non exclusis denum bene præparatis mercurialibus, quæ ad lympham visc. dam & acrem dissol-vendam ac corrigendam poscente ne-cessitate tam laxantibus in forma pil-lulari, quam sudoriferis possint ad-milceri, ita tamen, ut ne corpus for-titer commoveant, sed ut tantum hu-mores spissos & ad coagulum prono-liquefiant: nam omnia motus au-gentia hic cane pejus & angue sunt fuggenda.

### §. XI.

Quod attinet ad usum externorum, scirrhæ quæ in duris & scirrhosis glandula-medella-  
rum tumoribus, cancrosum virus in exter-na-  
sinu

singu foventibus, ullo modo suppetias ferre, verumque ulcus cancrosum avertere possunt; seire licet, si unquam, certe in hisce carcinomatibus ancipitis esse eventus remedia externa: utpote oleosa, pinguis & emollientia, corrosiva acria, spirituosa volatilia & camphorata, quæ alias in inflammationibus & sphacelationibus arcendis præstantissimi sunt usus, malum plerumque exasperant & citius interficiunt. Ex omnibus vero, quæ innoxia deprehendimus, eminet emplastrum Barbette saponatum, cum camphora & oleo hyoscyami malaxatum, nec non resolvens Joannis Agricolæ, quod in chirurgia ejus parva descriptum extat. Quo etiam pertinent emplastra & linimenta resolventia temperatoria, ab Hildano commendata, quæ neque ex nimis calidis & acribus, neque ex nimis mucilaginosis & pinguis conflata medio quasi modo se habent, & ita parantur. Rec. gummi ammon. unciam unam, olei amygd. dulcium, lilior. alb. pingued. gellinæ ana uncias duas, succi cicutæ uncias quatuor, aceti scillitici uncias duas. Misce & digere per diem & noctem, lenissimo igne tractes, ne nimis cito succus & acetum absumentur, & spissum fiat linimentum. Sic etiam tale præscribit emplastrum: Rec. emplasti de mucilag. & meliloto anatica portione uncias duas, gummi ammon. in aceto scillitico soluti unciam unam & dimidiam. M. & si opus est, ceræ adde parum. Nonnulli etiam ad impediendum tumoris incrementum, doloremque & ardorem leniendum mirifice astimant plumbi laminam, mercurio vivo inunctam & impositam; alii iterum fumos acidos parti scirrhosæ admittendos resolvendi fine commendant, & hujus generis plura. Si ullum vero remedium tuto & cum emolumento potest applicari, est profecto simplex cataplisma nulli in lacte cocti, pluribusque linteaminibus in-

voluti, ut ab omni humiditate liber maneat locus affectus. Et a domino hoc remedio, si ter vel quater in die sub cura thermarum Carolinarum fuerit adhibitum, ego in principio tumorum cancerorum in duabus virginibus mirum vidi effectum, quem antea nec pretiosissima summoque studio excogitata medicamenta præstare potuerant.

### §. XII.

Singula hactenus dicta provide ad- Diæta simul ra.  
ministrata interdum efficiunt, ut non modo inflammatio, quæ proximus ad cancrum gradus est, satis diu a scirrhis avertatur, morbusque tolerabis fiat; verum etiam, ut materia stagnans foliculisque glandulosis impatta sèpe in principio per venas reforbeatur, & sic scirrus vel evanescat, vel in ulcus benignum abeat. Idque eo magis potest obtineri, si diæta conveniens jungatur, quæ in eo potissimum consistit, ut in sex rebus non naturalibus justa servetur temperies; quo fine omnia debent caveari, quæ noxia esse in theoria ulcerum docuimus.

### §. XIII.

Longe vero strictius servari debent duriores diætæ regulæ quando cancer jam apertus in ulcus mali moris depascens abiit, quoniam præter accuratiorem diætam pauca sunt medicamenta, quæ sufficientem opem præstant; nisi id satagat medicus, ut pro circumstantiarum ratione supra commemorata interna præscribat. Extrinsecus vero, ubi verus multumque protuberans cancer, facta percutim apertura, instar fungi excrevit, & a parietibus compressus ichor rem fundit tenuissimum summeque rodentem, non sine fructu insperguntur antimonium diaphoreticum, cerussa antimoniæ, crocus martis aperitivus, & pulvis ranarum exsiccatarum,

tarum, superposito emplastro dia-pompholygos cum saturninis, vel emplastro Barbette cum camphora & hyoscyami oleo subacto, quæ partim ichorem imbibendo exsiccant, partim scirrhosam materiam resolvunt, putredinemque arcent. Ad dolores, qui per intervalla gra-vissime senviunt, leniendos, externe in locis quæ admittunt, cum insig-ni levamine applicatur aqua solani cum albumine ovi & sacchari saturni pauxillo conquassata, extra-cto simul croci, papaverisque rhœados addito. Quodsi vero, ut sœpe fit, ramus vasis sanguiferi apertus largam sanguinis copiam stillat, nimiumque fluxum cohibentia expo-scit, tum fortiter adstringentia hic locum minime inveniunt, sed præstat spiritum vini rectificatum ad-hibere, vel terram vitrioli edulco-ratam, quæ ex spiritus vitrioli de-stillatione remanet, cum ovi albu-mine miscere & adponere, vel etiam sanguinem draconis, cum albumi-ne ovi mixtum, itemque pulve-rem radieis consolidæ major. faucia-tis vasis admovere.

#### §. XIV.

**Exstirpa-** Nunc peculiaris excutienda est  
tio an & quæstio, an scirrhus & cancer ex-  
stirpi possint? Nos in ferendo judi-  
cio ita sentimus, quod omnino talis exstirpatione in certis casibus ad-  
mitti debeat, quia non modo gra-  
vissimi rerum chirurgico-medicarum  
auctores eandem aliquoties feliciter  
peractam commemorat, veruni etiam  
ex verissimo CELSI effato remedium  
anceps experiri praefet, quam nul-  
lum. Si quis vero scirrum & can-  
cerum eradicare cogitet, cogitare si-  
mul debet, an nullo alio medica-  
mento possit mitigari, aut curari,  
& annon æger in pejorem statum  
coniiceretur, si malum exstirpan-  
dum præberet, quam si retineret.  
Deinde magnitudo & duratio ho-  
rum affectuum debet attendi. Par-

vus enim & incipiens scirrus vel cancer operationem admittunt, ma-gni autem & vetusti reculant. Neque minus locus debet exami-nari, in quibus scirrhosa labes re-sidet. Sunt enim loca, ut præser-tim inguina, uterus, nares inter-nae, fauces, parotides &c quæ ex-stirpationem plane denegant ob arterias, venas & nervorum surcu-los circumfatos, sive suppositos; unde facile hæmorrhagia fuscitur lethalis. Tum quoque vires ægri de-cet explorare, an tali operationi sustinenda sint supplices, & qua-lis interna humorum sit constitu-tio. Hæc enim si cacoehymica est, nihil juvabit exstirpatio, quia in alia parte malum facile repullulat; sicut ego scirrum in una mamma obscissum, postea in altera mamma & glandulis axillaribus renatum vi-di. Idem valet, si scirrus & can-  
cer duas partes, licet inæquali ma-gnitudine, simul occupat. Tum quippe in uno loco excisus, in altero incrementum sumit. Imo de-nique multum refert scire, an mo-bilis adhuc & liber sit scirrus & cancer, quod cognoscitur, si digi-tis pressus in omnem partem potest moveri, & si cutis manu arrepta potest elevari. Quæ ubi aliter se habent, indicio est, quod jam cum aliis vasis & membranis callosis in unam coiverit massam, ideoque mi-nime cum ignoramus, annon magna vas a per ejus corpus divaricentur, quæ dissecta sanguinem ad mortem usque fundant.

#### §. XV.

Varii autem hactenus innotuerunt exstirpandi modi, quorum omnium optimus videtur, qui ferro peragi-tur, dum scirrus v. g. in mammis manu, vel instrumento quodam pre-hensus, & a corpore abstractus una sectione totus absconditur; vel si facta transversali in crucis formam in-cisio-

cione ex integumentis, in quibus libere hæret, eximitur, & a membrana adiposâ, cui interdum in inferiore sui parte adhærescit, separatur; quod facile fit, quando hæc nondum vitiosa est. Alii, in magno scirro e. g. mammarum eradicando infra scirrum furcam, vel magnas acus filis instructas transfigunt, & tum mammam infra elevationem cultro absimunt: alii iterum, facta cruciformi in integumentis sectione, scirrum per filum ceraceum, cum duabus acibus ipsis transversim inducta elevate eo fine, ut hac tractione panniculus adiposus eo melius citiusque separetur. Reliquæ operandi methodi, quæ per partis scirrhosæ compressionem, per ligaturam, per corrosiva, & ignem abolvuntur, raro inveniunt locum, nisi in minoribus scirrhis, & cancris, quales e. g. in labiis oriuntur. Ita enim ab unctione, & corrosivis mox eschara emergit, quæ vim ignis vel corrosivi ulterius adhibendi in magno scirro minuit; dein scirrus, & cancer admodum raro tam angusto prominent collo, ut ligatura possint constringi, & sensim removeri: in compressione autem metus est, ne adjacentes sanæ partes simul emoriantur.

### §. XVI.

Scirri,  
& can-  
cri uteri  
eradica-  
tio. Maligni uteri scirri, & cancri possunt præcaverti, quam curari. Profunt autem in principio, antequam malum vires reperit, ex consilio MAJERNE balnea aquæ dulcis cum herbis emollientibus parata, & semel de die adhibita. Tum nos cum eodem auctore commendamus venarum hæmorrhoidalium in feminis apertione, si mensium fluxus restitui nequit, ad quem alias reparandum, præter leniora interna tali in casu unctionata proficiunt pessi uterini, qui apparari possunt, si pulvres artemisiae, gentianæ rubræ,

aristolochiae, myrræ, sabinæ, & hellebori nigri tenui sacculo inclusi, & vino malvatico humectati utero admoventur. Quo etiam referri merentur fumi, ex lixivio scoriarum antimonii in uterum excepti: quibus remedii omnibus egregia ineft facultas obstructa vaſcula referandi, humores tenaces minimisque tubulis inhærentes dissolvendi, ipsaque venarum oscula aperiendi, ut sanguis menstruus, vel fluor albus, quorum suppressione plerumque causam præbuit, rursus suum sortiatur exitum. In ipsa ulcerosa uteri labe, quam ex sanioſæ pariter ac fetidissimæ materiæ profluxione cognoscere licet, non tantum pudenda a rosione sunt defendenda, & a tumore, qui plerumque jungitur, liberanda per emplastrum Barbette cum flor. fulphuris vigoratum, verum etiam cum fructu fuscipiuntur injectiones liquorum balsamico consolidantium hu-  
jus compositionis: Rec. aquæ d'arguebusade uncias quatuor, effent. succini, myrræ, balsami de copaiva, gummi elemi ana drachmas duas, mellis rosati unciam M. D.

### §. XVII.

Præter hæc vero, circa hanc curam probe debet attendi, quod non melior salus, quam ex thermis Carolinæ in tempore potatis possit obtineri. Etenim hæc aquæ, prout innumeris constat observationibus, in uteri vitiis, a quacunque fere causa obortis divinam plane opem exterrunt, dum obſtructions removendo, liberiorem sanguinis, & humorum circuitum, sicut per universum corpus, ita etiam per vaſculosum uteri viscus efficiunt, adeoque in impiis forribus per omnis generis emunctoria eliminandis excellenter se gerunt. Et licet solæ non semper sufficiant, nec totum curationis opus absolvant, scire tamen licet, quod ad reliquam curationem felicius pe-  
Caroli-  
varum  
ofus in  
tali cau-  
ragen.

ragendam commodam sternant viam; nisi jam morbi vis ita invaluerit, ut omnem hominum medelam penitus spernat.

## §. XVIII.

Tumores glandularum benigni quoque generantur. Coronidis loco de reliquis glandularum tumoribus, & ulceribus pauca addere placet. Probe enim sciendum est, non omnes glandulofarumque partium tumores in ulcerationem abeunt statim pro cancro habendos esse, sed ab iisdem in eo maxime diffire, quod laudabile album, coctumque pus fundant, dolorem mitiorem minusque pungitivum habent, neque venas circa tumorem varicosas gerant, & curationem admittant. Minime tamen negari potest, quod hi tumores inter se ipsi discrepent, & plus minus benigni vel maligni aestimandi sint. Ita malignis acutis accesseri debent pestilentiales, malignis chronicis bубones, ex gonorrhœa quocunque modo suppressa, vel ex impuro coitu suborti: alii enim a prohibita transpiratione, vel dolore colico excitati inguinum tumores melioris semper indolentes solent. Sæpe ejusmodi glandularum subaxillarium, parotidum, maxillarium & inguinalium tumores morbis præsertim acutis superveniunt, & vel cum febris symptomatumque decremento critici salutares, vel cum augmento symptomatum juncti, symptomatici esse solent: sæpe etiam sine omni febre, licet non sine febrilibus commotionibus sua sponte exsurgunt. Id quod spississime fieri deprehendimus in corporibus impuris cacochymicis, sive fejero-scorbuticis, si conuentæ, & criticæ excretiones per mentes, hæmorrhoides, sudores largiores, coryzam, & rheumatismos deficiunt, item in iis, quibus ex utroque sexu erysipelas & cæque scabies ad habitum corporis propelli definit. Similes tumores, præsertim in parotidi bus experientur infantes, pueri & adolescentes, sueculentiores, qui co-

ryza, vel narium hæmorrhagiis non amplius tentantur, & qui a primis annis longo tempore tinea capitis vexati fuere.

## §. XIX.

In curatione rite peragenda aut discussio, aut si hæc obtineri nequit, suppuratione est promovenda. Atque ideo interne convenienti decocta sanguinem purificantia sudorifera, interpositis laxantibus cum mercurio dulci vigoratis; externe vero discussiendi fine sub ipsa sudoris expectatione applicare expedit cataplasmata, quæ optime fiunt, ex radice sigill. falom. farina fabarum, herbis chærefol. petroselini, flor. fambuci, temine cymini, baccis lauri, juniperi, croco, &c. in vino coctis. Neque usū suo carer, præmissis emollientibus, & antispasmodicis, qualia sunt emplastrum de meliloto cum spermate ceti, croco, oleo hyoscyami, & camphora subactum, postea demum cataplasmata discussientia adhibere, quia sic stagnans humor tenjor, & mobilior factus dein per poros melius vel transpirare, vel per vaſa potest refluere. Quodsi vero non amplius discussionis locus est, sed propter auctam magnitudinem, dolorem, & majorem humorum affluxum, natura suppurationem molitur, hæc non melius poterit promoveri, quam per emplastrum diachylon simplex, vel cum gummatibus, vel rectius adhuc, & citius per cataplasma, ex cepis sub cineribus coctis, radice lit. alb. ficibus, farina fabarum, melle, croco, vitello-ovor. invicem mixtis confatum. Quando maturus est abscessus, cito aperiatur, ne materia acris putulenta ad interiora conversa vix堪abile ulcus producat. Facta apertura purificatio ulceris, & consolidatio optime perficitur balsamo vulnerario, quod ex aloë hepatica, succino, myrrha, gummi elemi, floribus rosarum, balsamo Peruviano, & de copaiva, melle, cum spiritu vini

vini extractis, & cum oleo hyperici vetusto, paucisque guttis balsami sulphuris antimoniat, vel terebinthinati remixtis parari potest; vel etiam balsamus Arcæi, item oleum vitellorum ovorum & hyperici vetustum, in quibus myrrha soluta, vel cui terebinthina & liquidambra admixta sunt, in tali casu adhæberi possunt, superposito semper emplastro Barbette emolliente.

S. XX.

Quid pro- Sæpe accidit, ut propter magnam  
fit, si cu- duritiem & materiae immobilitatem  
rationi tumor ad suppurationem pervenire ne-  
resistunt. queat; tum vero videndum, ne can-  
croœ indolis fiat, ut maximis me-  
tuendum est in parotidibus & glan-  
dulis colli, si in cacochymicis, scor-  
buticis & ætate provectionibus. Opti-  
me autem averti potest periculum, si  
prater remedia interna depurantia,  
extrinsecus emplastra ex gummis, ut  
est emplastrum manus dei, vel emol-  
liens quoddam cum oleo cornu cervi,  
vel tartari foetido malaxatum, item  
emplastrum Agricolæ ex cepis, im-  
ponuntur. Quod de parotidibus va-  
let, valet etiam de reliquis glandu-  
larum tumoribus, si in imo delite-  
scentes magis ad interiora vergunt,  
& si valde duri, renitentes & do-  
lorifici sunt. Hi enim omnes difficultus  
discutiuntur & suppurantur, quam-  
qui molliores sunt, & non adeo do-  
lent, ut in sanguineis, sanguineo ph-  
legmaticis & ætate junioribus.

§. XXI.

**Tumores testium quomodo curandi?** Nec denique omitti debent molesti testium tumores. Licet autem testes glandulis accenserit non possint, nihil tamen minus, quia in eo cum glandularum fabrica convenienter, ut ex innumeris fere capillaribus vasculis invicem convolutis contexti sint, pariter ac ipsæ glandulae duris & seirrhosis tumoribus sunt obnoxii. Conferunt autem externe fatus ex lacte cum floribus sanibuci & chamomillæ cocto affectæ parti crebrius admissi, nec non emplastra emollientia, cum

floribus sulphuris, ipsoque balsamo sulphuris & mercurio præcipitato albo remixta, quæ cum internis diluentibus & purgantibus combinata eximiam resolvendi, incidendi & diftutiendi præstant energiam. Plura ad hanc rem pertinentia reperire licet in capite de lue venerea.

CAUTELÆ ET MONITÆ  
PRACTICÆ.

S. I.

**U**lcera, quæ a causa præsertim interna originem & sustentationem recipiunt, curationem raro admittunt, nisi hæc convenientibus internis adjuvetur. Peccant in hoc maxime chirurgorum plurimi, qui nimis audaces utplurimum sine medico soli perarduum curationis opus aggredimur, & posthabit's internis sanguinem purificantibus remedii se-cant, urunt, ungunt, & quævis alia tentant: qua ratione non modo nihil profundit morbumque diutius protrahunt. Quod vero sicut malitiosum proboque viro indignum est; ita ego, ne quis solis extensis fidens interna negligat, etiam atque etiam moneo.

Cautelæ  
circa in-  
t rna ia  
ulceri-  
bus .

§. II.

*Ulcera cuiusque generis in subiectis impuris minime cito debent exsiccari: his enim rapae sanitati sunt, & non fecus ac fonticuli corpus a mille aliis malis immune praestant.*

-- circa  
confoli-  
da io-  
nem.

Qua quidem in re audiendus est SE-  
VERINUS, de novis obseruatib; ab-  
scessibus capte XXX ita differens;  
singulare est eorum uicerum qua on-  
silio naturæ prudenter paratu, qua  
quoniam in nostram salutem exalta-  
ta sunt, facinus esset, usq; aut amo-  
liri aut temere cobire. Tametsi  
etiam haud criticum est illud opus;  
nihilominus quia cum p; of; etu anima-  
lis sit, amplectendum est beneficium.  
Si quis vero temerario autu conflo-  
cationem instituit, morbos sape  
pejo-

pejores eosque insanabiles accersit; unde ego post talia ulcera intempestive occlusa pleuritidem, asthma, coecitatem, vertiginem, mentis alienationem aliaque plura mala vidi subnata. Et hinc etiam est, quod inter pessimas notas & instantis mortis præfigia referri solet, si ulcus, quod antea fluxit, siccum & vel lividum vel pallidum evadit. Hoc enim si fit, designat vim naturæ nimis depressam; qua pereunte motus & influxus sanguinis membra a corde remota deserit; unde haec coarctantur, horrent, frigent & arida fiunt; adeoque etiam ulcera manare desinunt.

### §. III.

*Quid ante exstirpationem indicatur exstiratio, corpus antea facientrum?* Si a signis supra recensitis scirrhi indicatur exstirpatio, corpus antea bene est præparandum commodo vietu debitissime medicamentis, quia corpore non repurgato, facilime sanguis impurus in alio loco scirrhosam labem refuscitat. Animus quoque ægroti spc boni eventus est lactandus & prudenter firmandus ad operationem fortiter sustinendam. Quo autem vires refocillentur, porrigitur debet analiptica, quæ inter eminet vinum bonæ notæ Rhenanum, cum cancerorum lapidibus & theriaca remixtum.

### §. IV.

*Quid post eandem?* In ipsa operatione omne morbosum est eradicandum; alioquin si quam minimum relinquatur, malum recrudescit, & ex scirrho dein cancer fit. Si quid vero præter culpam chirurgi operantis remanserit, ad radicitus exstirpandam labem pulverem mercurii præcipitati adhibere expediat, cavendo tantum, ne salivatio excitetur. Tum quoque post exstirpationem per sat longum temporis spatium interna sanguinem depurantia & relictum seminium corrigen-  
tia cum accuratori vivendi ratione sunt continuanda, ne pus, quod tum generatur, per venas sanguinem ingrediatur, aut si quid forte ingre-

sum sit, denuo elutatur. Quod vero ut eo melius fiat, cavendum simul est, ne per remedia fortiter suppurrantia nimia fiat puris generatio. Ceterum consolidatio, sicut in alio ulcere fiat.

### §. V.

In cancro patente & exulcerato si febris lenta accedit & hectica, commendari merentur ad nimium calorem refrænandum, emulsiones temperantes, lac asinum & juscula nutritiva medicamentosa, nec non gelatinæ ossium, ex rasura cornu cervi & eboris cum succo citri & vino Mofellano confectæ. Denique, si crebriora animi deliquia mortis periculum indicant, potiones analipticæ ex aquis destillatis paratæ, & modicus vini haustus cum externis refocillantibus languentes spiritus paulummodo suscitant.

### §. VI.

Interne, si dolor cancri excessivus est, & ægri opem nimis urgent, ad hunc placandum admitti possunt n leniora anodyna. Sic ego in acerbissimo uteri cancroſi dolore mitigando, summam anodynorum ad tempus, vidi efficaciam, atque in primis potiones, ex aquis papaveris rheas, flor. pœon. lilior. convall. syruro papaver. alb. & pauis guttis effuentiæ anodynæ præfens attulisse levamen. Qua quidem in re me confirmat experientia RIVERII, qui in praxi lib. XV. haec habet: *vidimus, inquit, mulierem cancrofa mam- ma laborantem, quæ singulis noctibus per quatuor menses laudani opiatigrana duo vel tria innoxie & cum ma- ximo solito sumvit.*

## OBSERVATIO I.

### Enarrationes Morborum.

**V**ix generosus septuagenario major, robustæ & obesæ constitu- fangui- tions, non nisi semel in anno ve- neus a- ffectus & næflectionem admittens, nocte ali- feliciter confoli- quan- datus.

quando in tenebris urinæ reddendæ gratia assurgens in hymum prosternitur conclavis, gypco lapide strati; unde ingenti percussus terrore non multo post de gravi cruris dextri circa genu dolore conqueritur. Intra biduum subiequebatur tumor, qui paucorum dierum intervallo ita increſcebat, ut capitis humani magnitudinem æquaret. Vocabantur auxiliū ferendi cauſa chirurgus & medicus, qui conipectum tumorem, doloris expertem paucaque rubedine cinctum extrinſecus tractabant emplastro de ſapone camphorato, deluper imposito cataplaſmate, ex herbis rute, ſcordii, cardui benedicti, floribus ſambuci, camomillæ, baccis lauri, juniperi, &c. in vino coctis, & cum ſpiritu ſalis armoniaci remiſtis. Interne tinctoria offerebatur bezoardica camphorata & pulvis lapidum cancerorum cum vino, ſed nihil inde æger ſentiebat levaminis; ut potius, aucta tumoris magnitudine, totius corporis lassitudinem experiretur. Ego itaque cum re probe penitata, cutim inter & muſculos materiam extravafatam judicabam, tumorem ſcalpello aperiendum precipiebam; unde purus ſanguis effluat ad libras fere duas, ſubſequente ſero purulento ſanguine tincto. Tumor detumescens facta cum filo ceraeo exploratione, amplitudinem cavitatemque ſat magnam naectus videbatur: quare confiendum curavi liquorem traumaticum, ex myrra, aloe rosata, gummi elemi, tacamahaca, floribus roſarum, hyperici, millefolii & balsamo Peruviano cum ſpiritu vini rectificato digestis, & in eſſentiam redactis vulnerarium, quæ cum melle rosato remiſta, ad uncias fere duas quotidie ſiphonis ope injiciebatur, ſuperpoſitis emplastro & cataplaſmate jam laudatis. Internam ferebamus opem elixirio noſtro balsamico pulveribusque bezoardicis; & ad vires reficiendas, quæ cum ap- petentia ciborum, intercurrente ſu-

dore frigido & anxiø, valde labefiebant, modicus ſubinde haſtus vi- ni optimi Hungarie permittebatur. Vinculis poſtea laxatis, loco ſanguinis indies magis magisque pueruebat optimi coloris & conſiſtentiae, & intra quinque ſeptimanias æger consolidato ulcere exoptatæ red-debatur ſanitati.

## O B S E R V A T I O II.

Non possum, quin observationem Tumor  
ſanguiniferus a.  
perius  
lethalis ſubjugam aliam, præcedenti non niſi eventu diſſimilem, quæ ita ſe habet. Vir ſexaginta annorum podagricus, vitæque ſedentariae & anxiæ ſemper curis addictus in dextro brachio tumore corripiebatur, duro, dolorifico, lividumque colorem reterente, qui fruſtra adhibitis variis generis externis, mutata fede, ad dextri lateris pectus circa mamillam proferpebat, exigua tantum duritie nivecente in brachio relictæ. Jungebantur brevi poſt virium & appetitus deſectio, pedes tumidi & tuffiſi cum ſpirandi diſſicultate vehementiſima. Accerſitus medicus atque chirurgus apertioñem tumoris confidenter fuadebant, quam ego ægro, cum & meum flagitaret conſilium, ferio diſſuadebam, quoniam perſcruta ipsius conſtitutione morbi que in dole, non purulentam inibi materiam, ſed potius humorem valde rodentem putridum contineri prævidebam, & externi aeris admiſſione internam putredinem adauectum iri augurabar. Atque eventus respondit præſagio. Medicus enim, amicum reſpuens conſilium, me abſente tumorum ſat magna inciſione ipſe aperuit; unde loco expectati puris, ſanguis valde dilutus cum acri ichorre mixtus ultra mensuram effluxit. Injecta quidem eſſentia mirrhæ aquosa, quæ etiam interne adſumebatur, ſed altero die rurſus ſimiſis promanavit materia, donec tertio die tanta

tanta successit hæmorrhagia, quæ nullo sisti auxilio poterat, sed sanguinem cum vita exauriebat. Tumore aperto cavitas sat ampla reperiebatur sphacelo corrupta: in thorace & abdominis cavitate serum conspiciebatur collectum, & pulmo in latere sinistro putrida ac purulenta materia totus consumptus.

### EPICRISSI UTRIUSQUE CASUS.

Varii generis tumores in corpore oboriuntur, quorum naturam & tractandi modum & medicus & chirurgus probe debet callere periteque distinguere. Nostri quos adduximus, dicendi sunt sanguinei, qui a stagnante sanguine enati largam hujus copiam per sectionem fundere solent. Atque in eo discessi debent ab abscessibus vel apostematibus, quæ ex præcedente inflammatione oborta pus intus fovent, ideoque minus alunt periculi. Merito autem ejusmodi tumores distingui debent in benignos & malignos. Benigni sunt, qui, sicut in priori casu observavimus, in subiectis sanis a contusione, vel alia qualunque externa causa prægressa, intra breve tempus subnascuntur, ne ullis quidem internæ inflammationis notis præcedentibus. Atque hi maxime eveniunt in sanguineis, quorum minima vasa sanguine repleta turgent, quæ vi externa disrupta brevi tempore effuso sanguine in musculorum & tunicarum interstitiū ingenitem formare tumorem possunt. Nisi tum extravasato sanguini per incisionem paretur exitus, non modo hic longiori stasi corruptus & acrior fatus partis læsæ consolidationem impedit, verum etiam a putrido humore per vasa resorbto, corporis viriumque debilitas & lentus hecticus calor subsequuntur. Neque in sano homine, cuius humores blanda gaudent temperie, pertimescenda est aperio, sed speranda inde potius melior salus & exoptata consolidatio; idque

eo magis, si in cavitatem balsamici injiciuntur liquores; qui non modo putredinem arcent vasculasque aperita occludunt, sed & consolidationis negotium eximiæ promovent. Alia vero tumorum malignorum est ratio, qui non tam in corpore puro & sano, sed in impuro, cacochymico & scorbutico, per varias antea ægritudines debilitato emergunt, neque externalm læsionem, sed potius internalm humorum depravationem pro causa agnoscunt, qui extravasati sumquamque acredinem adepti vasa & substantiam fibrarum erodunt. Accedit, quod maligni hi tumores non in instanti, sed tensim paulatimque producantur, sicut in posteriori casu animadvertere licet, ubi tumor per plures menses substitit, ante quam humore ad pectus translato mamillam occupavit, id quod utique internalm substantiæ carneæ erosionem per totum brachii tractum ostendit, qui etiam coriotos, facta sectione inventus est. Enim vero, negari nime potest, quod omnes hi tumores lethales habendi sint certoque certius mortem inferant, quæ tamen eo citius accedit, si apertio acceleratur. Namque admisso aere atmosphærico vel humorum putredo partiumque adjacentium sphacelatio promovetur, vel hæmorrhagia excitatur incompescibilis, quæ vires cum vita brevissime adimit. Quod vero si metuendum est, nulla in re magis reperire licet auxilium, quam in injectione liquoris balsamici non aquei, sed spirituosi, quo non modo fauciata vasa constringuntur, sed ulterior quoque putredinis progressus & sphacelatio ad tempus avertitur.

### O B S E R V A T I O III.

**V**ix generosus sexagenario proximus, habitu corporis pingui & spongioso prædictus, jam per decennium viduus, lautæ semper & vino-  
ſæ diætæ indulxit, nullaque fontica valetu-

Ulcus  
perfusus  
morbo  
collo.

valetudinis incommoda, præter catarrhales defluxiones expertus est, maxime cum bis in anno circa æquinoctia venam secandam præbuerit, fontemque soterium Pyrmontanum per aliquot annos potaverit. At vero cum officii, cui admoveatur ratio posceret, ut sub vere maxime & autumno, tempestate frigido-humida & nebulosa in sylvis circa aquarum stagna commoraretur, & insuper quoque vena sectionis stricioris que diætae impatiens ad genium suum inordinate viveret, accidit proh! dolor superiori anno mente Novembri, ut circa tempora supra aurem dextri lateris tumore afficeretur inflammatorio & ulceroso instar ciceris, quem dicunt furunculum. Leve videbatur malum & vix medela dignum, sed brevi post, cum noster in convivio se cibo & potu nimium repleverat, aerisque vespertini injuriis expoluerat, tumor iste cum dolore valde increascebatur, qui ante maturitatem chirurgi apertus, ichorem fundebat sanguineum, labia recipiens subtumida & fere cruxosa. Fugit me, quam si bi in medendo viam medicus æque ac chirurgus tum temporis elegerint; postea vero, cum ego consiliū ferendi causa advocaret, hæc erat rerum facies: tumor ille dolorificus denudo valde austus, jam glandulas occupabat parotides; quare ex meo consilio emplastrum imponebatur diachylon, item Barberi cum camphora oleo que hyocyami tubactum. Ex aere dextra materia promanabat faniosa, & maxillam tumore compressam æger nec poterat movere, nec solidi quietquam deglutire. Exacto triduo post aures ingens fiebat abscessus, qui denudo quidem aperiebatur, sed nihilominus materia purulenta ad colligandulas descendens, ibi novum formabat tumorem, qui recuata incisione sponte disruptus in ulcus abiabat vere cancerosum, tamque profundum, ut ibi decurrentes nervi, arteriae & venæ, imo denique celopha-

gus & aspera arteria, absunta sensim pinguedine, denudata conspicerentur. Dabantur in principio ad alvum, quæ clausa erat, ducendam, impetumque humorum a capite divertendum leniora laxantia, medicamenta sanguinem purificantia, & jusculta herbarum antiscorbuticarum mendicamentosa; extrinctus vero liquores balsamici syphonis ope infundebantur. Sed omnia hæc ac singula imminentem sanguinis corruptionem avertere vix poterant, ut potius invalescente calore, siti & inquietudine, hinc & inde in toto corporis ambitu ulcuscula prodirent sublivida, ipsorumque digitorum extremitates inflammatione prehenderentur. Tandem sub insigni virium decremento, cæbriores accedebant lipothymæ, & imminens moriendi necessitas nono die omnium miseriarum exoptatum afferebat finem.

## EPICRISIS.

Varia in præfata morbi historia occurunt momenta, quæ singularem merentur considerationem.

1) Si tot tantorumque in nostro ægrototo malorum scrutamur originem, nullum certe aliam invenire licebit, præter scorbuticam sanguinis & humorum dyscrasiam, quam sibi procul dubio lauta & inordinata vivendi ratione, aeris frigido-humidi usura, & omissa consueta sanguinis missione contraxit. Tali enrratione languis in viro, ætate jam multum proiecto non solum copia & spissitudine increvit, verum etiam, cohibita transpiratione facile pravam induit diathesin, quæ deinde variis tumoribus & exulcerationibus ansam præbuit facillimam.

2) Merito reprehendenda videtur chirurgi in aperiendo primo tumore festinatio, qua proh! dolor factum est, ut ichor tenuis acrior & magis nocivus redditus vicinas partes arroserit similique labe infecerit. Id quod in

in subjecto senili, ac impuro in partibus multa pinguedine obsitis, ut collum est, eo citius potuit obtinere. Namque digna notatu obseratio est, quod corruptio in pinguedine oborta, & a sanguine inibi stagnante illata celerrimo serpat progressu, vixque ulla possit ratione cohiberi: quare non mirum esse debet, cur etiam in praesenti ægroto tubnata in pinguibus locis corruptio mox tantas sumferit vires, ut coniunctis partibus suppositis, arteriæ, venæ & nervi in conspectum prodierint.

3) Notabilis est ulcusculorum in variis locis proventus, digitorumque inflammatio, quæ summam sanguinis corruptionem indicat luculentissime. Augmentum vero ipsa recepit a materia purulenta in sanguinem delata, quæ hunc tetra putrilagine inquinavit, & in motum conjectit putredinosum; unde febris, inflamatio, lipothymia & vitæ clausula mors.

#### O B S E R V A T I O IV.

**F**emina generosa, octo supra trigesimum annos nata, temperamenti phlegmatici, & integra semper valetudine gavisa, ante septem circiter annos in puerperio a nimio lochiorum fluxu varia experta fuit symptomata, maximoque hemicraniam dextri lateris, passiones hystericas, cordis palpitations, & rheumaticas faciei artuumque defluxiones per tres fere annos ab eo tempore perferre debuit. Consuluit itaque harum pertœsa molestiarum medicastrum, qui salivationem suasit mercuriale co effectu, ut admodum vehemens frigoris sensus, quem ne calidissimum quidem conclavis vel lecti regimen mitigare poterat, remaneret, atque molestæ artuum defluxiones, cum tumore & exulceratione junctæ æram miserrime discriuarent. Adhibita lignorum decocta cum inedia parum tulerunt levaminis, ut potius dein in media

mammæ sinistæ regione supra papillam durus accelerit tumor, qui spreta externorum ope brevi ita increvit, ut ovum anterinum magnitudine æmularetur, & innumeris venarum ramificationibus cœruleis cinctus dolores pungitivos & prope lancinantes, præsertim ab applicato emplastro de cicuta inferret. Ceterum, ægra nondum lepto affixa bene appetit, & quantum per dolores licet, animi est hilaris; præservandi autem scopo meum postulavit auxilium.

#### EPICRISIS CUM CONSILIO.

Affectus, quo præsens laborat femina, tumor est cancerosus, qui non modo ex colore livido & lapide duret, partis glandulosæ, verum etiam ex doloribus pungitivis sat clare cognoscitur. Prima hujus mali origo deducenda videtur a puerperio, ex quo plurimæ mulieres refurgunt morbo, si vel saluberrimæ diæta præcepta quoad victimum, regimen & animi affectus minus rite fuerunt servata, vel si lochiorum fluxus quocunque modo peccaverit. Potissimum vero in praesenti casu largissima sanguinis in partu profusio acculari debet, qua corpus debilitatum postea loco sanguinis boni ac laudabilis multas ferotas & excimentiæ collegit cruditates, quæ minus recte a massa sanguinis segregatae variis subinde molestiis, & specia im quidem rheumaticis faciei & artuum defluxionibus, glandularumque tumoribus anam dederunt. Jam quidem hoc sine utilissima sunt lignorum decocta cum inedia, omniumque remediorum vim longissime superat tempestivus thermarum Carolinarum usus. Si quis vero in tali cacochymico corporis statu salivæ profluvium mercurialibus temere molitur, plus semper nocet, quam prodest. Etenim, cum validiora hæc medicamenta spastica partium nervosarum & glandulosarum strictura agant, fieri aliter non potest, quin

Tumor  
cancer-  
sus post  
puer-  
tum.

quin spasmī, si jam in corpore sensibili & debilitato adsunt, mirum in modum augeantur: unde non modo præsentes vasculorum minimorum obstrunctiones confirmantur, verum etiam ecclisis in cute vasculis frigoris sensus inducitur, & a cohibito transpirationis negotio majores in corpore impuritates accumulantur. Res autem quo clariorem accipiat lucem, probe meretur attendi, quod salivatio plerumque frigus partium extremarum junctum habeat, quod eo quidem fine fieri arbitror, ut per inferiorum partium strictroram lympha & saliva majori nisi ad superiora, maximeque ad glandulosam faucium compagem delata eo melius excernatur. Sæpe vero peracta etiam salivatione, si hæc vel nimia, vel intempestive adhibita fuerint, externæ partes molestio tentantur frigore, quod nisi mitigatur & ad justam redigitur temperiem, multa succedunt incommoda, quæ in præsenti etiam calu metuenda sunt, ubi durante frigore ad affectam mammam major humorum fiet affluxus. Ego itaque in consilio ferendo primo omnium suitor & auctor fui, ut alvo, quæ sæpe similiter clausa erat, subducta extrinsecus diligentes adhibeantur frictiones, & ægra per intervalla in balneum aquæ dulcis descendat, ut sanguinis in externas partes influxus revoceatur. Leinde, commendavi cutam cum fonte Egrano tepido instituendam, & servandam præcepi accuratiorem diaetam, vitando salsa, acria, dura & motus augmentia, substituto in potus locum decocto purificante. Extrinsecus tumori duro imponendum suis emplastrum Barbette saponatum & probe camphoratum cum hyoscyami oleum malaxatum, superposito cataplasmate ex semine milii cocto; unde abscessus benignus siebat, qui secundum artem tractabatur.

## O B S E R V A T I O V.

**F**Emina generosa quadragenaria, Cancer  
exulta-  
tus. temperamento cholericō sanguineo prædita, semel tantum felici partu filiam exclusit sanam & vegetam, cui ipsa mammas per annum præbuit Abiactato infante in sinistra mamma tuberculum ietinuit parvum, & avellanæ magnitudinem vix accedens, quod doloris expers per quinquennium sine molestia tulit; donec ante aliquot menses post perpetuum tristitia affectum tumor sensim increvens per intervalla dolore adsciebatur pungente, majusque præsagiebat periculum. Chirurgus acceptebatur artis probe peritus, qui tumorem durum, scabrum, & duobus in margine tuberculis cinctum extrinsecus spiritu vini camphorato & crocato, aliquoties in die applicato tractabat. Interne a medico infusum præscribebatur vinofum laxandi virtute pollens, & vespertino tempore pulveres absorbentes nitrosi offerebantur: neque decocta instar Theæ potanda, neque pilulæ leniores balamicæ ad mensum fluxum, qui adhuc integer erat, in ordine conservandum omittebantur. Tantum vero aberat, ut vel minimum tumor ille scirrhosus magnitudine decoresceret, ut potius cum tubercul's novissime obortis in unum corpus coalescens instar manus latus & longus appareret, colorem ex bruno rubicundum punctisque albidis interstinctum referret, & doloribus pungitivis per intervalla redeuntibus magnas crearet molestias. Quare ego in consilium adhibitus ægram in omnibus tam corporis quam animi commotionibus abstinere, cibos, acidos, salsa, duros & multis conditos aromatibus evitare, bis in hebdomade ad alvum laxandam pulverem rhabarbarinum sumere, & in potus locum decoctum ex rad.chin. scorzoner. & rasura ligni safras ana uncii tribus, rasur. ligni

santali rubri & citrini ana uncia ana & dimidia confectum substituere jussi. Quo vero universa sanguinis & humorum massa eo melius diluta ab impuritatibus liberaretur, serum latcis caprini cum tremore tartari paratum, succisque herbarum antiscorbuticarum cochleariæ, beccabungæ & nasturtii aquatrici expressis remixtum per mensem & ultra primo manu haurire, & ventriculum juvandi gratia elixirium meum temperare balsamicum inter epulas ad octoginta guttas capendum commendavi. Externe tumori scirrhoso, qui in perpetuo tempore conservari debebat imponendum suasi emplastrum emoliens camphoratum, superposito semine milii ex lacte cocto, duplicatisque linneis involuto, ne humiditas ad partem affectam pertingens noxam inferret. His ita per tempus observatis mitiora videbantur omnia. At vero, brevi post infima tumoris extremitate exiguis locus cuticula denudatus paucam plorare humiditatem videbatur, & circa instans mensum tunc progrexis phlogosibus, pectoris angustiis, partiumque infernarum refrigerationibus, in ipso tumore vas aperiebat sanguineum; unde sanguinis circiter octo profluebant unciae, ante quam spiritu vini rectificato sisti poterat. Quæ cum animadverterem, sua foreram, ut alvus clysteribus crebro subduceretur, ad sanguinis ebullitionem sedandam pulveris temperantis, ex osse sepiæ, conchis præp. succino præp. & nitro confecti drachma circiter dimidia cum paucis liquoris anodynī guttulis ex aqua, vel emulsione temperante interdum sumeretur; circa mensum vero periodum pilulae ad methodum BECCHERII confectæ una cum pulverbis temperibus exhibentur. Singula hæc tamen prohibere vix poterant, quin scirrhosa hæc excrescentia in ea parte, ubi humidum stillabat, in veram abiret putredinem, verumque ulcus cancro-

sum formaret; quod labiis valde tumidis ac duris prædictum, brevi tempore magnam acquirebat cavitatem, magnamque materiæ ichoroïæ, odore teterimæ fundebat copiam. His accedebat, quod per periodos sat larga recurredet hæmorrhagia, quæ multum semper sanguinis exhauiens non inane minabatur periculum; maxime cum virium robur cum ciborum aduentitia magis & magis decreaseret, & ambo pedes tumore obfiderentur cœdemato. His ita constitutis ego de nudo consultus ad avertendum, quantum licebat, putredinis progressum, externe oleum myrræ per deliquium applicandum, & alternis diebus antimonium diaphoreticum ulceri inspergendum commendabam, super imposito semper en plastro Barbette faponato & probe camphorato. Interne ad vires resuscitandas ordinabam mixturam analepticam, ex aquæ cinamomi sine vino, melissa, cort. citri sine vino, rofar. lilio. convall. cerasor. nigror. anatica portione unicis tribus, matris perlar. drachmis duabus & syrapi acetolitat. citri uncia dimidia, invicem probe mixtis paratam, & denique iusculis alimentosis, ex iuscule galinaceo cum rasa cornu cervi decoctis, succoque citri vel aurantior. alteratis ægram reficiendam præcipiebam. Verum enim vero, conversis in pejus symptomatibus, ægra vi morbi superata succubuit, & sicut audivi, lethali syncope exitincta est.

## EPICRISIS.

Sistit hic casus integrum canceris tam occulti, quam patentis ulcerati historiam, ut eo melius inde cognosci possit, qua ratione hic corpori humano intensissimus morbus oritur, latiusque proferendo se multipliet. Primo autem omnium quoad originem notari meretur, quod hoc mali genus in illa corpora præcipue cadat, vel in iis exacerbetur, quæ longa

longa tristitia premuntur. Nam inter decem cancro laborantes vix unum datur individuum, ubi non gravis mæstitia prægressa fuerit. Deinde plenus inde confirmamur, quod satatis diu scirrhosa durities, nisi irriteret, in glandulosa parte gestari possit, ante quam periculum corpori intentet. Quam primum vero pellicula summa eroſa humor tenuis & aquosus plus minus acris exfudat, jam cancer serpere incipit, atque tum caro quæ procedit, putris appetet, dolor cum calore intenditur, & oræ rubent, tument, ac fere exulcerantur, venisque disrupti multum sanguinis effundunt. Ubi notabile est, quod, quo calidiora adhibentur medicamenta, eo color magis ad livorem tendat, tumorque & dolor augmenta sumat. Tandem febris jungitur, quæ paullatim cum reliquis omnibus vires sumens tot malis obrutus ægros interficit. In tali rerum statu cura tantum palliativa tam inquam externa locum invenit. Interna talis est, quam supra commendavimus, vitando tam in diaeta, quam in medicamentorum oblatione omnia exagitantia. Externa eo maxime absolvitur, ut partem adfectam tēpide habentes medicamentum præscribamus lene, quod ulcus sordidum repurget, cavitatemque replete; licet dolendum, quod raro, imo nunquam fere his scopi obtineri queant. Pariari autem tale medicamentum potest ex olei olivar. parte una, aceti vini & lithargyri ana parte dimidia, sub leni ignis gradu & continua agitatione ad lithargyrii solutionem & aceti consumtionem coctis, & dein cum oleo rosarum, plumboque usto ac loto in mortario plumbeo in unguenti formam redactis, & applicatis. Expedit quoque Eodem fine, nisi jam dictum medicamentum ad ima satis pertingere potest, liquorem infundere, qui ex aqua spermatis ranarum, rosatum, succi solani recenter expressi ana un-

cia una, mellis depurati uncia dimidia, & sacchari saturni aliquot granis confectus est, cui interdum etiam, si opus est, unguenti basilici portio addi potest. Sic sepe humor sat multus elicitur, qui linteo multoties contorto superposito excipiendus est, ne partes adjacentes aggrediantur. Quodsi vero ob orificium angustius fordes elui nequeant, scalpello dilatatio debet institui. Ubi labia ulceris ita intumescunt, ut in iis venæ disruptæ, sicut in præsenti ægrota, multum sanguinis ad plures uncias & libram usque emittant, spiritus vini rectificatus vel solus, vel cum terra vitrioli dulci mixtus prodest, maxime si linteum multiplicatum, quod superponitur, commoda fascia satis adstringatur. Sed quid juvant omnia vel acutissime excoxitata remedia, nisi ut vitam miseram tolerabilem reddant? Moriendum est abominabili hoc affectu certissime: gerunt enim eodem laborantes putredinem, quam alii post mortem demum subeunt, in corpore adhuc animato quæ paullatim sanguinem & tenuissimum nervorum succum inquinans lacrum corpus humo tradit.

### O B S E R V A T I O VI.

**E**rat hic loci femina, ex gente Ulca s. uteri Judæa, quæ ab onere dorso imposito, indeque forsitan una alteraque com cancer vertebra subluxata nimium uteri profluvi experiebatur, ita ut fere continua sanguinis profusio extra statum mensium tempus cum dolore hypogastricæ regionis circa umbilicum & matricem summas crearet molestias. Medicamentis internis adhibitis mitigabatur quidem fluxus, sed in locum ipsius fluor albus succedebat sañiosus, cum ventriculi inflatione, dolore intestinorum flatulento, alii strictura & abdominis dura instar tympani elevatione junctus. Postquam varia sine effectu medicamenta per dimidium anni ægra adhuc L 2 bue

buerat, auctor eram, ut thermas adiret Carolinas, quibus per mensē & ultra sub debito regimine usā, magnam materiæ tenuioris, ac minus quam antea fœtidæ ex utero excrevit copiam, unde simul alvus aperta flatus liberius emittebat, dolores expirabant & abdominis tumor ex voto detumescebat. Curatione hac peracta infusum theiforme, ex agrimon. consolid. farac. salvia, melissa, milfolio, & flor hyperici singulis diebus mane bibendum, & bis in septimanā medicamento alvum ducendam commendabam. Ante omnia vero siphonis ope injiciendum curabam liquorem balsamicum & consolidantem cum melle remixtum, & extrinsecus emplastrum emolliens flor. sulphuris nuptum imponendum: qua methodo per singularem Dei gratiam pristinæ restituta sanitati denuo concepit.

## EPICRISIS.

Sistit hic casus uteri uleus feliciter sanatum, quod raro contigise exemplo arbitror. Tractavi enim plures similiter laborantes feminas, sed sine fructu, sine successu; ut potius hecica superveniente decesserint. Intervenit inde licet, ejusmodi utri ulcera non semper unius ejusdemque esse indolis, aliaque præ aliis esse malignora, ut potissimum evenit, si summa homoribus cacoehymia insidet, a qua tamen ægrotia nostra, quæ sibi malum ab externa causa contraxit, libera adhuc fuisse videtur. Alias in curando, multo vero magis in avertendo hoc morbo summam meretur commendationem thermæ Carolinæ, quæ in obstructionibus uteri referandis sordibusque impuris eluendis egregiam præstant energiam, sicut ego aliquoties vidi. Sed adhiberi debent in tempore, ante quam substantia uteri nimis erosa, & depascens corruptio præsens est, item si nondum febricula jungitur. Nec

spernendi sunt effectus decocta vulneraria, qualia huic ægrotæ finita Carolinorum cura præscripsimus, quæ, si nimius genitalium ardor urget, cum radic. altheæ, glyzyrrh. peconiæ, & aliquot papaveris capitibus possint temperari, vel cum lacte alterata adhiberi. Externe profundunt injectiones balsamicæ & putredini resistentes; si dolor vero ardorque infestant, liquorem instar emulsionis, vel etiam lac chalybeatum tepide intundere præstat. Nec omittenda plane sunt ulcus purgantia, si hoc ita situm est, ut talia commode admittat: quo fine commendari merentur pessaria, sive linteola contorta, cum essentia quadam balsamica, ex gunimi elemi, myrrha, mastiche, aloe hepat. & similibus in spiritu vini extractis madefacta.

## O B S E R V A T I O VII.

Ulc  
abilis in  
fectionis  
fanatum.

Ir illustri loco natus, septuaginta annorum, iracundiae deditus & calidiori semper conclavi adsuetus, qui magni principis consiliarius complures annos vita sedentaria in consilio dandis ac conscribendis consumserat, ex improviso per dentis acuti mortsum inferiori labio illatum tuberculum sibi contrahebat durum & dolorificum, quod sensim paullatimque disruptum ulculculum formabat non adeo bonæ indolis serpens, ichoremque purulentum fundens. Qui auxiliū ferendi causa aderant medicus & chirurgus, neglecta curatione interna, solis externis curationem moliebantur, eoque fine potissimum digestivum cum balsamo de Copavia & melle rosato mixtum adpliabant. Ego autem, cum per litteras & meum requireretur consilium, primo omnium venæ sectionem, quam vir illustris ob invalescens senium diu omiserat, in pede administrandam suasi; posthæc vero totum curationis negotium eo direxi, ut universa sanguinis & humorum massa, quæ in senili corpore, & sub vita motus

motus experte non exigua impuritatis labo inquinata videbatur, debitis internis remediis depuraretur; idque eo magis erat necessarium, cum totus corporis ambitus instar ictericorum flavo colore defedatus minoribus pustulis summoque pruritu vexaretur. Quare ego, præmissis & interpositis laxantibus rhabarbarinis & mannatis, decoctum ordinavi purificans, ex radice pareiræ bravæ, sapaillæ & chinæ cum pastulæ confectum, quod tum mane ad sudorem movendum calide, tum potus ordinarii loco frigide haurire debebat; subjunctis interdum vespertino tempore pulveribus diaphoretico-cinnabarinis. Externe oleum myrræ per deliquium, liquidambræ nuptum commendavi, atquæ hæc omnia tam felici successu, ut æger intra mensem integræ gauderet valetudine.

## E P I C R I S I S.

Præsens labii ulcus, a causa externa subortum, non adeo multum auit periculi, licet non negandum sit, quod ab interna sanguinis & humorum impuritate pabulum subinde & augmentum receperit. Quare non sine fundata ratione curationem internis simul adornandam & perficiendam commendavi, ut subtracto morbi pabulo externa remedia eo liberius operari potuerint. Praeter hæc sciendum est, quod ejusmodi labiorum ulceræ non adeo expeditæ sint sanationis, partim quod non omnia ferunt remedia in aliis ulceribus proficia, partim quod non omnia ferunt remedia in aliis ulceribus proficia; partim quod loquendo ridendoque labia facile irritantur, ut inde non raro diductis cum dolore rimes sanguis cieatur. Accedit demum, quod continuo salivalis laticis afflu-xu tale ulcus madefactum non adeo bene a sordibus possit repurgari; unde non potest non diutius protrahi consolidatio.

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

## O B S E R V A T I O VIII.

**V**irgo erat generosa, viginti annorum macilenta, quæ ob vietatum genus sedentarium, parciorem potum & largiorem acetariorum inter cibos usum inordinato mensium fluxu & symptomatibus cum eodem conjunctis laborabat. Brevi post in altera mamma tumor exsurgebat duriusculus, qui ex parvulo incipiens sensim paulatimque increscet. Circa ejus ambitum, quin aliquando in ipso, aliqua quasi puncta sentiebantur, quæ brachium illius lateris in doloris consensu ducendo, optimam virginem de salute valde sollicitam reddebat. Veniebat itaque ad me supplex, ut ipsi & consilio & auxilio succurrerem: unde ego petitis anniens ad sanguinis massam depurandam mensiumque fluxum, qui ultimis periodis penitus cessaverat, revocandum, thermas Carolinas cum debito regimine potandas; externe vero emplastrum emolliens camphoratum cum cataplasmate milii imponendum commendabam. His ita per tempus adhibitis redeunte menstruo, tumor quidem detumescerre videbatur, sed paulo post in ulcus terminabatur, quod interpositis internis decoctis sanguinem depurantibus, sub juncto que ad catamenia in ordine servanda elixirio balsamico, externe balsamicis, & deinceps unguento tractabatur, quod oleum recipiebat ro-faceum in mortario plumbeo, donec nigrescebat, tritum, & cum ceruſa & lithargyrio remixtum, superposito emplastro manus Dei. Atque hac ratione ægra successu temporis exceptatae reddebatur sanitati.

## E P I C R I S I S.

Variis, & mammarum quoque affectibus premuntur mulierculæ, cum menstrua non bene respondent, vel ex toto ferri desinunt, non autem illæ, quæ, quia lac præbent, a mensibus defectæ sunt. Quodsi enim

enim sanguis superfluus per uterum excernendus intus retinetur, tum ipse ad alias maximeque superiores partes regurgitans varii generis incommoda, ut in imo ventre spasmos & flatus, in pectore angustias cum difficulti respiratione, in capite gravitatem, vertigines, cephalalgias, imo non raro in mammis, quibus magnus cum utero confensus intercedit, tumores scirrhosos ulceraque tam benigna quam maligna suctat. Idem tulit fatum praesens virgo, quæ ex mensium fluxu propter vitam sedentariam, potus inopiam & acidorum cometionem suppresso molestem mammæ tumorem & ulcerosam labem obtinuit. Erat autem hoc ulcus benignæ indolis, licet in comparatione cum aliis ulceribus curatu difficilius, quod vel ex eo unice apparet, quia pus aluit & cicatricem recepit. Tantum enim abest, ut omnes partium glandulosarum tumores & exulcerationes in cancrum, seu malignum ulcus semper abeant; ut potius felici omne abscessum saepe benignum faciant, curationemque admittant. Id vero potissimum folet contingere in subiectis sanis, vegetis nullaque sonica, vel tamen facile emendanda humorum dyscrasia infectis; sicut quidem in nostra ægrota animadvertere licet, quæ restituto mensium fluxu depuratisque paululum succis alacrior redditam vim morbi felix superavit.

Plures observationes evolvi posse sunt in observat. & responsis meis medicinalibus Tomo I. casu LVIII. & LIX. Tom. II. casu CIX. CLXXI. & alibi.

## C A P U T VII.

De circumspecta ulcerum fistulorum curatione.

## THESES PATHOLOGICÆ;

## §. I.

**S**I ulla externarum partium lœsio <sup>In fistulis</sup> medicis æque ac chirurgis plurimum facessit negotiis, summisque operandi difficultatibus preffa est, est profecto ipsa fistulorum curatio. Nam præterquam quod hæc ulcera specie valde sint diversa, admodumque difficile ab aliis ulceribus distinguuntur; quam maxime etiam hoc accedit impedimentum, quod saepe in iis locis sedem occupent, ubi remediis & operationi, manu peragendæ vel difficilis vel nullus plane datur accessus. Verum enim vero, quum frequentius hoc malignus occurrat plurimumque intersit, qua ratione rite cognoscatur, & ad sanationem producatur, opere facere premium existimo, si succinctam, sed experientia fundatam de fistulis doctrinam huic operi subjugam.

## §. II.

Est autem fistula ulcus sinuosum, inveteratum, oblongum & circa officia arctum, interius non minus quam exterius callosum, doloris maxime expers. Suum accepisse nomen videtur fistula a cavitatibus istis oblongis & induratis quæ in longum reptando, aliqua ex parte cum aliis aiundinum vel fistularum cavitatibus convenient; unde etiam a Grecis στεφανη, appellari consuevit. Quo tamen eo melius adhuc de peculiari fistularum indole constet, sciare omnino licet, fistulas ideo maxime ad ulcerum genera referri, quia sœdam continui solutionem, seu filamentorum, quibus solidæ partes constant, dilacerationem junctam habent, quæ deinde cavitatem, lenta, putri-

putrida & mali odoris lympha repletam prolignit. Atque in eo etiam ab abscessibus vel alii generis ulceribus discrepant, quia non tam bonum coctumque pus fundunt, sed potius ichrosam & acrem materiem stillant. Verum oblongæ quoque sunt, variosque & multiplices sinus formant fistulæ, ita quidem, ut in principio suo cum oris præduri, tumentibus & quasi inversis, arctius coeant, in profunditate ampliora fiant, & latius se extendant. Imo demum callus, seu concretum præternaturale durum & membranaceum a fistularum natura non debet excludi, quo superficies sinusorum obducitur, ipsaque mali sanatio non parum impeditur. Licet enim quandoque oræ prædurae & callosæ cicatricē induantur, hæc tamen denuo disrupta ulcus facile renovat, vel etiam materia acris contenta, alias querendo vias, per novum orificium foras prorumpit.

### §. III.

*sedes.* Omnes fere ac singulas machinæ humanæ partes solidas invadere solent fistulæ. Neque enim solum in carnem exedendo sœviunt, sed glandulas quoque earumque vasa, arterias, venas & nervos, tendines & cartilaginiæ occupant, & acerbo saepius dolore commovent, ne ossibus quidem exceptis, quorum primo tenella, dein solidiora putrida carie ita dissolvunt, ut materiam pessimi odoris fundant, difficillimamque sanationem efficiant. Enimvero, dubitate quis posset, an omnes, quas enumeravimus, partes fistularum subiectum constituant. Sed qui altius secum perpendit, quod tota corporis fabrica ex meris fibris artificiofissime inter se connexis & coalitis conflata sint, quarum prima staminæ & filamenta prout magis vel minus crassa, vel tenera existunt, laxiusque vel compactius cohærent, varia constituant organa; facile profecto concedet, omnes solidas par-

tes, quia ex uno constant principio fibroso, fistulis posse adfici. Unicum tantum remanet dubium, an fistulæ etiam ossa aggrediantur, quæ dura sunt, fortiterque resistunt. Sed respondemus, quod omnino in mali confortium trahi possint ossa corporis fulcimenta: siquidem plurimæ auctorum chirurgicorum observations fidem faciunt, ex ulcere fistuloso fragmenta ossa fuisse extracta. Imo si meam ipsius experientiam interponere licet, ego vere adseverare possum, me aliquot similes annotasse casus, qui de fistularum in osseis partibus sede certiores nos reddere possunt; quamvis libens lubensque concedo, quod non tam in principio quam potius in mali incremento tale quid soleat contingere.

### §. IV.

Differunt fistulæ secundum partes, — *diffe-*  
quibus infensæ sunt, & in singulis *rentia.*  
quidem propria quedam signa ha-  
bent, quæ annotari merentur. Hinc  
etiam diversa pro partibus affectis  
fistularum fluxerunt nomina, ut ha-  
beamus lacrymales, maxillares, ge-  
næ, colli, pectoris, abdominis, ani,  
& ejusdem generis alias, quas nunc  
seorsim spectabimus, orti a fistula la-  
crymali, cuius vera sedes est saccus  
ille lacrymalis, qui in majori *Descri-*  
*ptio la-*  
oculi angulo situs ostium quasi refert  
canalis, per quem liquor promanans *cryma.*  
a lacrymali glandula in nasi cavita-  
tem prolabitur. Neque labe vacant  
partes proxime adiacentes, maxime-  
que sinus ethmoidales, qui in nasum  
producti mucosam ibi materiam de-  
ponunt. Quo etiam spectat os un-  
guis appellatum, quod totidem in-  
terdum perforatur. Namque tenui  
illud est & exile circa internum oculi  
angulum, ad ostium canalis na-  
salis situm, ubi etiam positi sunt  
rami ex arteria carotide & vena ju-  
gulari decurrentes, itemque nervi a  
quinto & sexto pari emissi. Quan-  
docunque igitur canales lacrymales  
& sic dictus saccus, una cum parti-  
bus,

bus, quæ his proxime adjacent, ulcere manante, sinuoso & calloso occupantur, vera adeo fistula lacrymalis, adeoque hæc commode simul distinguitur a simplici, quæ fistulam plerumque antecedit, obstructione & superficiali exulceratione vasum lacrymalium, nec non a tumore quolibet inter oculos & nasum conspicuo, quem anchilopem dicunt, neque minus ab ægilope, seu anchilope versus exteriora aperto & leviter exulcerato, nondum tamen callo obducto differt.

## S. V.

<sup>colli.</sup> In fistulis maxillaribus & genæ totum tractum a glandulis parotidibus & apophysi mastoidea ad annulum primum arteriæ asperæ pro subiecto agnoscimus. Quo referri etiam debent præter cutem externam & pinguedinem vasa sanguinea, musculi buccinatoris portio, musculi labiorum masseter & biventer, qui omnes vel labiis movendis, vel motui maxillæ inferioris dicati sunt; neque minus posita ibi glandulæ cum insignibus ductibus & vasis salivalibus. Conglobatarum enim innumeræ in labiis & palato deprehenduntur, conglomeratae autem sunt parotides, quæ totum illud spatium replet, quod angulo posteriori mandibulæ inferioris & apophysi mastoidea interjicitur: imo infra quoque maxillares internæ, seu Warthonianæ locatae sunt, quæ si læsæ fuerint, lympham puram eamque copiosam fundunt. Neque demum incepit hic referri possunt dentium fistulæ; siquidem in vulnis usque notum est, nullam ferme genæ fistulam absque dente carioso fieri, quo per artem extacto sponte malum evanescit.

## S. VI.

<sup>maxilla & genæ.</sup> Sequitur ordine fistula in collo, per quod productionem thoracis, ab atlante, seu prima prope caput vertebra, usque ad primam thoracis vertebram, quæ eminens dicitur, exorrectam significamus. In duas autem partes, alteram anteriorem, alteram

posteriorem collum dispescitur, quam illa guttura, hæc cervix appellari solet. In cervice fistula rarius, in gutture frequentius gignitur, utpote quod præter vasa sanguinea jugularia & carotidalia, lymphatica ac nervosa, œsophagum quoque & arteriam asperam complectitur, quæ posterior similiter nonnumquam diro huic malo subiecta est, sicut testis est MARCHETTE <sup>in ob. chir. obs. XXXVII.</sup> qui fistulam per duos arteriæ asperæ annulos transeuntem describit. Atque notandum est, quod interdum talis fistula multis sinibus ad ipsas claviculas subrepatur, qualem observationem descriptam legere licet apud SCULPTUM <sup>armament chirurg. part. II. ob. L.</sup> Præter hæc <sup>pede-</sup> vero larynx hoc morbi genus pectus quoque solet adffligere, quod extriplici substantia, ossa, cartilaginea & carneæ eo maxime fine coalitum est, ut non modo cordi & pulmonibus tuendis interviat, sed etiam alternæ sui ipsius extensioni ac compressioni congruenter sufficiat. Sæpe etiam tale fistulosum ulcus per pectoris cavitatem transiens ipsum cordis substantiam erodit & perforat, quale notabile exstat exemplum apud MAR. CHETTE <sup>l. cit. ob. XLVII.</sup> Neque umbilicalis ad intestina pertinens fistula rarissima est, sed jam antiquissimis Hippocratis temporibus celebrata fuit. Id quod inter alia insignis locus epid. lib. VI. reperiundus indicat, ubi mentio injicitur fistulæ umbilici ex vulnera subnatæ, ex qua per intervalla magnus prodit lumbicus, indeque judicatum fuit, intestinum simul fistula esse tactum, ex quo perforato lumbicus ille prodierit.

## S. VII.

Restat adhuc exploranda illa fistula, quæ circa sedem oritur, & ani fistula nuncupatur. Occupat hæc maxime vasa venosa hemorrhoidalia, quæ anum corona quasi cingunt, sanguinemque per arterias allatum revahere debent. In his enim facile <sup>230.</sup> sanguini-

sanguinis contingit stagnatio propter situm perpendiculararem, ubi adscensus semper est difficilis. Accedit laxior intestini recti compages: unde ob toni debilitatem sanguis ibi subsistens tenues vasorum tunicas distendit, & incarceratus corrosivam induit natum. Sequuntur hinc saepe presso, ut ajunt, pede haemorrhoides coecæ, seu dolorifici tumores inflammatorii, qui si non cito discutiuntur, vel a grumo sanguinem per scarificationem aut incisionem liberantur, facilime in apostema abeunt, quod si scalpellō incisorio non tempestive aperiatur, ac detersivis & traumaticis consolidetur, in ulcus degenerat; unde dein saepe originem fistulosis ani & partium circumiacentium, ut musculorum ipsiusque spinctoris sinus. Crux enim serotus extrinsecus summa acredine imbutus intestini recti membranas, reliquasque conterminas carnes facile perrodit atque exedit, unde fistula origo.

## §. VIII.

*Causa proxima fistula-*  
*rum.* His ita perspectis videndum est, quenam causa horum ulcerum generationi velificentur. Ex his autem præcipuum obtinet locum, succorum vitalium, maximeque lymphæ impuritas, ex improbo victu, vitiisque viscerum & emunctoriorum enata. Quodsi enim ab incongrua diæta multæ impuritates in corpore accumulantur, & emunctoriis oppilatis fortes excrementitiae salino sulphureæ a succis vitalibus minus rite fecernuntur, non tantum sanguinis & humorum massa sanitati adversam induit diathesin, verum etiam concitatores motus, & fibrarum irritationes producuntur, quibus dein peregrinæ indolis salia fortius attrita & ab involucro suo nudata majorem acridinis vim acquirunt, ut earneas fibras descendant, angustissimos glandularum aliorumque vasorum tubulos, quibus se inferunt, arrodant, nerveaque & membranaceas partes magno cum dolore & cruciatu consumant; imo de-

Hoff. Syst. T. IV. P. 5.

muni ipsas ossium lamellas acrimonia sua exedant atque carie depascant. Probe tamen hoc loco notari velim, sicut omne ulcus; ita etiam in principio fistulas, inflammationem partis antecedere, quæ nil nisi minimorum vasculorum a stagnante sanguine vel lympha obstructio est, cui dolor, ardor, rubor, tumor & arteriolarum distensio junguntur: unde dein corruptio & pus generatur, quod acrimonia sua partes magis corredit. cavitatemque & sinus format.

## §. IX.

Ex dictis jani facile patebit ratio, cur scorbutici, hypochondriaci, cachectici, lue venerea affecti & alii, <sup>Cause</sup> <sup>mediata</sup> <sup>funt:</sup> <sup>diæta</sup> <sup>erroris.</sup> quibus viscera minus salva, sed in farcta vel corrupta sunt, ob succos impuros & largam sordium salino sulphurearum progeniem tam frequenter varii generis ulceribus, ipsisque fistulis corripiantur. Neque dein minus constabit ratio, cur omnia illa, quæ ad viscidam & acrem humorum impuritatem contribuant, ut fere sunt, aer crassus & vappidus, vixtus fassis & viscidus, potus parcus vel consistenter, omniumque maxime excretionum naturalium retentio vel suppressio, ulcera ejus generis non modo producant, verum etiam producta foveant. Ita non raro evenit, ut a suppressis mensibus vel haemorrhoidibus, ob retenti sanguinis stagnationem, fistulae uteri & circa anum prodeant, sicut exemplis docuit HILDANUS centur. II. obs 61. & DOLÆUS in encyclopæd. chirurg. qui post lochiorum fluxum suppressum vidi mulierem copiosissimis, iisque fistulosis crurum ulceribus infestatam.

## §. X.

Sæpiissime etiam fistula natales su-  
mit ab ulceribus præpostere tracta-  
tis, ut inter alia fistula lacrymati-  
s ed æglopo, & ani, ex haemor-  
rhoidibus exulceratis docet; ne-  
que minus ab abscessibus matu-  
ris vel non satis cito, vel in loco  
incon-

inconvenienti sublimiori apertis, item, si non legitime depurantur. Materia enim purulenta ichorosa non satis commode educta, & per moram acrior redditam partim gravitate, partim acredine, fibrillas, membranas, & vascula discontinuando, sinus sibi efformat variæ figuræ ac magnitudinis, ichorosa materia repletos, & vel introrsum, vel extorsum patulos. Maxime autem tale quid solet contingere in abscessibus, & ulceribus glandularum maxillarium, parotidum, inguinalium &c. ubi, ob discisos ductus lymphaticos perpetuus est affluxus humorum, quibus nisi liber conceditur exitus, vappescunt, acredinem contrahunt, & perfacile sinus angustos, oblongos & callis obductos producunt.

## S. XI.

--vulne- Tum quoque ex vulneribus progra-  
ra. gni solent fistulosi sinus; quod potissimum usu venit, si quis in situ curvo vel inflexo constitutus ita vulnus accepit, ut instrumentum lœdens non recta, sed obliqua via transfixum fuerit. Tum enim facile cava-  
tates formantur, quæ non satis rite a stagnantibus humoribus depuratae callos recipiunt, & materia in alio loco decliviori prorumpit. Idem acci-  
dit, quando curationem vulneris chirurgus protrahit, quia tum non raro symptoma complicantur, quæ sa-  
nationem multis modis impediunt, fistulanique ingnunt. Sic hic locorum in filiolo quodam Gallicæ lin-  
guæ informatoris fistulam lacryma-  
lem olim observavi, quæ originem debebat vulneri per casum ab alto ex-  
citato; unde os unguis nasale, quod valde rarum ac spongiosum est, ca-  
rie perforatum medellæ nullum re-  
linquebat locum. Spectant huc quo-  
que rumedia acria, & nimis calida  
ulceribus & vulneribus adhibita, quæ partim majorem humorum adfluxum ac stasin producendo, partim tenues fibrillas constringendo, occasionem fistulis præbent.

## S. XII.

Singulæ tamen fistulæ speciales <sup>Cantæ f.</sup> quasdam causas habent, a quibus ori- <sup>fistula l.</sup>  
ginem suam mutuantur. Videre hoc <sup>crymali.</sup> maxime licet in fistula ani & lacry-  
mali. Hæc enim non semper ab ex-  
ternis lœsionibus, vulneribus, & icti-  
bus provenit, sed sçpissime inflam-  
mationem faciei erysipelatoden, quæ  
simil texturam viarum lacrymalium turbavit, excipit, vel etiam ophthal-  
miam sequitur, quia ductus lacry-  
males non solum proxime cum perio-  
stio, sed & cum ipsa oculi tunica ad-  
nata cohærentes in ophthalmis & ce-  
phalagiis facile in consensum abri-  
piuntur. Idem malum contingere so-  
let post variolas, quæ meatum in na-  
so, & palpebris orificio vel mole sua,  
vel ichorosa materia comprimendo,  
consuetam seri excretionem impe-  
diunt: unde facile obstructio, & ex  
hac neglecta sçp exulceratio oritur,  
quæ fistulam parere potest, si ulcero-  
sa sanies stagnans saccum lacryma-  
lem, & quod subest, periostium ero-  
dit, novoque subinde sinus format,  
qui sensim callo investiuntur. Inter-  
dum etiam, ut in scorbuticis, & lue  
venerea infectis videmus, polypi &  
ozæna, aliaque ulceræ serpentia na-  
ribus innidulantur, quæ ductum na-  
salem rodendo, vel sanie ulcerosa  
implendo, serum lacrymale exitu pro-  
hibent; unde hoc diutius ibi subsi-  
stens has partes facile arrodit, cor-  
rumpit & exulcerat: sicut hæc omnia  
perdocte ostendit celeerrimus Aca-  
demie Lipsiensis professor D. PLAT-  
NER in eleganti dissertatione de fi-  
stula lacrymali olim habita. Ad fi-  
stularum ani generationem multum  
plerumque facit fortior motus, equi-  
tando præsertim institutus. Siquidem  
hac ratione facile nimia vasorum haemorrhoidalium distensio, & apertio  
efficitur, quæ in ulcus definit. Idem  
in sequiori sexu tñre valet gestatio  
fetus, & nimius parturientium ni-  
sus, dum a venis compressis & in-  
de retardata sanguinis per ipsas cir-  
cula-

ulatione, hæmorrhoides cœcæ in nonnullis excitantur. quæ perperam curatæ sæpe principium ulcerum fistulosorum in ano constituant. Aliæ fistulæ pro situ suo iterum alias agnoscunt causas, quas nunc, quia scopo nostro minus infervire videntur, studio prætermittimus.

## §. XIII.

**Callositas canalis & indole.** Jam etiam pauca dicenda videntur de rationibus phænomenorum, quæ fistulas assidue comitari solent. Primo autem omnium se offert callus, seu caro indurata, indolens, ulceris que consolidationem impediens, cuius naturam paucis evoluemus, vindendo primum, quæ ad duritiem concurrant causæ. Hæc autem me judice deducenda videtur ab externi aeris accessu, qui sinus, & cavitates fistularum intrans immediate fibris carneis incumbit, poros coarctat, & circulationem humorum per has partes compressas retardat, vel penitus sufflaminat: unde ipsæ sensu ac motu privatæ callositatæ contrahunt. Namque satis, ut arbitror, ex physiologicis constat, quamdiu per omnes corporis canaliculos & poros fluidum justa in copia fertur, tamdiu partes mollitie sua, debitaque textura gaudent; simulac vero pori, ut ab atmosphæræ ambientis pondere sit, comprimuntur, fibrillæ, ex quibus partes conflatae sunt, arctius conjunguntur, fluidique itus ac reditus impeditur, tum protinus illæ partes majorem renisum, & duritiem acquirunt. At vero, ad duritiem istam callosam in fistulis, etiam vis acidi ulcerosi coagulans permultum contribuit; quod fluidas partes coagulando in motu sistit; unde hæ sibi invicem magis ac magis oppositæ callo originem & incrementum suppeditant. Præter hæc vero notabile est, quod callus sensatione careat; quod quidem exinde derivandum arbitror, quia ipse ex fibrarum lamellis firmius sibi per compressionem connexis constat, per quas nullus

neque sanguinis neque aliorum succorum vitalium viget transitus, adeoque sensu & motu non potest non destitui. Denique etiam callus in fistulis omni resistit sanationi, quia materia nutritia, quæ partium ad levicem conglutinationi inservire debet, per callosos poros non penetra re, neque fibras coadunare valet: quare nisi callo per artem remoto nulla fistularum contingit sanatio.

## §. XIV.

Sequitur jam cavernarum sinuum que obliquorum consideratio, qui a materia acri, rodente, in partium solidarum tubulis stagnante, & exitu suo præclusa proficiuntur. Tum enim, ut supra jam mesminimus, materia tam sua ipsius gravitate, quam aeris incumbentis pressura viam sibi præparat, & poros vicinæ carnis intrando, filamenta ipsius dilacerat, & quia duriora ossa, cartilagine, arterias, nervos tam subito perforare nuquit, novam sibi cavernam efficit, ex qua deinde iterum novi canales prodeunt. Quod vero orificio fistularum exterius multo clorum angustius sit, quam canalis inferior, non alia est ratio, quam quod materia acris ichorosa gravitate sua in profundum magis & ad latera serpens non tam facile ad orificium ulceris pertingat. Cui accedit, quod aer frigidus exterior ipsas ulceris oras plerumque tumidiores durioresque efficiat; unde orificium magis coarctatur, cui se facile visciddates applicant, quæ materiæ saniosæ effluxum impedi entes, hanc ad internas cavitates magis determinant.

## §. XV.

Præter hæc quoque pro diversitate subjectorum & partium affectarum materiæ cernitur effluxus, ita varie fere, ut in nonnullis pus album coctum, in aliis nigricans & graveolens, in aliis tantum ichor tenuis & acris, malo odore varioque colore prædictus appareat. Album coctumque pus

pus, quod bono indicio est, plerumque in recentibus fistulis, vel tum temporis conspicitur, quando materia partes sanguineas & carneas occupaverit; albedo vero puris debetur commixtione particularum acidarum cum gelatinosis & succi nutritii oleosis, non aliter, atque extra corpus contingere videamus, si forte acidum cum oleosa substantia miscetur, ubi mox albicans prodit color. Graucolentia, quæ jungitur, intimæ partium salino-sulphurearum combinationi, seu putredini dissolventi in acceptis ferenda est, quia indubitate experientia constat, quod ipsa putredinis labes ab ulceribus, præfertim vestitioribus, excludi minime possit. Denique consideranda venit summa materia effluentis acredo, quæ sœptanta est, ut linteamina arrodat, & vix aliunde, quam ab humorum stagnatione & corruptione progignitur. Omnes enim corporis animalis succi extra legem circulationis positi, & diutius subsistentes, stagnando, plane alienam induunt crasim, maximamque acquirunt acrimoniam: unde non mirum esse debet, cur etiam in fistulis similia videamus contigere.

### §. XVI.

**Fistula.** His ita expositis, proximum est, ut accuratius determinemus, qua ratione exploranda sit fistularum praesentia & propria cuiusque indoles. Optime autem id primo efficitur, si digitis exploramus, an dura adsit productio, an illa per lineam rectam vel curvam in cute proferpat, & an paucus vel nullus doloris sensus percipiatur. Dein formam fistularem specillo, sive instrumento exploratorio inquirimus; unde facilis negotio cognoscitur, quantam fistulæ faciant productionem, quamque habeant directionem sive sursum, sive deorsum, vel ad latera tendentem. Quam item egregia sunt, quæ protulit PARÆUS lib. XII. cap. XXII multis, inquit, cuniculis & in labyrinthum anfractuosa judicantur fistulae, si non

alte descendit specillum. Et nibilominus plus sanie efficiat, quam tam exigui ulcers ratio ferat: an vero tortuosa sit, opus est, ut id recte cognoscamus. Præstamus autem id ipsum virgula quadam cerea vel instrumento tali, quo solet vulgus purgare suæ tabaci fistulas: bænū ad quacunque latera se flexere & ad fistula figuram se accommodare possunt. Quod vero specillo, vel instrumento exploratorio explorari jubent CELSUS atque PARÆUS, id HIPPOCRATES lib. de fistulis per allii recentem scapum experitur, quam ego methodum auctori suo relinquo, & illis, quibus occasio observandi favet, experiundam commendabo, id tantum commonefaciens, quod præter hæc omnia de fistularum præsentia aliqua ex parte certiores siamus, si ulcus jam diudicaverit: quæ enim annua sunt ulcera, in iis cicatrices cavas fieri possesse est.

### §. XVII.

Speciales fistulæ iterum speciales habent notas, ex quibus cognoscuntur. Ita fistulæ lacrymalis indicium est, si circa angulum aculi internum fistulosa carunculæ exulceratio deprehenditur. Sæpius tamen sola intumescens cum rubore conspicitur, qua compressa sanies ulcerosa aut seruum acre, album & viscidum vel oculum versus vel nares prorumpit. Neque omittenda est peculiaris Anellii vias lacrymales explorandi methodus, quam specillo argenteo quoad extremitates exigui globulis munito perficere solet, cuius delineationem, & usum tradidit excell. PLATNERUS. Fistulam maxillarem indicat plerumque materia inter manducandum & oscitandum effluxio, præleitim si vasa lymphatica jam sint corroso. Ani fistulam manifestant ante aperitionem maxime dolores, rupto vero abscessu ichor exstilat summi fetoris. Si ulcus intestini recti substantiam perforat, partibus externis intactis, ichorofa materia per anum tam

Prognos-  
sis fistu-  
larum  
ratione  
loci.

tam ante, quam post fæcum alvina-  
rum rejectionem profunditur, prout  
fundus fistulae, vel superiorius, vel in-  
ferius latitat. Supra autem fundus  
solet hærere, quando ante fæcum le-  
niter saltem induratarum secessio-  
nem ichorosa acris materia expelli-  
tur; inferius autem, quando ichoris  
stillicidium excrementorum dejectio-  
nem sequitur, vel si tuberculum ad  
rubedinem vergens exterius prope ani-  
foramen conspicitur, eo præterim  
tempore, cum fundus ichore replete-  
tus est, quo effuso tumor evanescit.  
Si intra intestini tunicas fistula pro-  
serpat, foramine exterius conspicuo,  
dignoscitur exploratione candelæ ce-  
reæ, vel instrumento accommodato; si hoc intra membranas urgetur,  
lamella digitis immisif & ity-  
lo interiacet. Intestinum si interius  
quoque apertura gaudeat, instru-  
mentum adactum digitos proxime at-  
tingit, materiaque partim per ani  
foramen, partim excrements & fla-  
tus per orificium fistulae prodeunt,  
itemque liquor per ani foramen in-  
jectus regurgitat, & per fistulaoram  
apertam extillat. Fistula sphincter-  
em ani perforans appetet, quando  
digitæ apex ano constricto intrusus  
haud fortiter comprimitur, sed in  
ampliorem valdemque dilatabilem  
cavitatem recipitur. Quæ vero fistula  
multis cuniculis prædicta est, ex-  
ploratur cedula cerea, vel instru-  
mento flexili. Præterea fistulae ani  
partes sœpe conterminas infestant:  
nam multoties non solum ad ves-  
cam tendunt, ubi vel urina per anum  
prorumpit, vel ichor & excrements  
cum urina profiliunt, verum etiam  
in sequiore sexu ad uterum reptant,  
in quo casu fæces cum sanie icho-  
rosa per uterum egrediuntur. Quæ  
vero ad coxendicis vel coccygis of-  
fa pertingunt, difficilioris sunt co-  
gnitionis, nisi os carie infectum,  
quod ex ichore graveolente & nigri-  
cante effuso concluditur.

## §. XVIII.

Restant jam pauca de prognosi, si-  
ve eventu affectus nostri dicenda. In  
quo quidem perficiendo primo om-  
nium attendi meretur fides fistulae,  
partiumque affectarum structura. Sum-  
matim tamen adserimus, fistulas ad  
interiora pertingentes periculi num-  
quam esse expertes, admodumque  
difficilem admittere sanationem, quo-  
niā non adeo facile a sorribus pos-  
sunt mundari, nec omnibus sine di-  
scrimine remedii adiuvari; unde fa-  
cile fit, ut pars quædam nobilior ar-  
rodatur. Sic lethalis est illa, cuius  
mentionem facit MARCHETTE  
*obs. XLVII.* ubi ex vulnere ossis ster-  
ni fistula exorta ad ipsam cordis sub-  
stantiam penetravit. E contrario fi-  
stulae extrinsecus spectantes & visui  
obviæ non tantum in sanando ha-  
bent discriminis, sed iisdem, si super-  
ficiales & cutaneæ sunt, sœpe intra  
quatuordecim dierum spatium conti-  
ngit sanatio. Quæ ad musculorum ten-  
dines, arterias, venas & nervos pe-  
netrant fistulae, periculo non vacant;  
cum contra curatu faciliores sint, quæ  
in mollibus carnosisque partibus exi-  
stunt: unde iani HIPPOTOCRATES  
*in Coct.* hoc tulit judicium, quod fistulae,  
quæ in cartilaginosis & excarni-  
bus locis subnatæ multum sanie fun-  
derent, & carunculam in oculo con-  
tinerent, omnem fere medelam respu-  
erent. Similiter etiam quæ circa arti-  
culos oriuntur fistulae ægerri me sanan-  
tur, partim ob molestissimum synoviæ  
adfluxum partim ob continuum ha-  
rum partium motum. Hinc insanabilia  
pronuntiat ulcera fistulosa HILDA-  
NUS *obs. XIVIII. cert. IV.* quæ cir-  
ca juncturas mandibularum contin-  
gunt; quod tamen ita limitamus, ut  
ipsa potius curatu difficultima decla-  
remus, quam ut omnem sanationis  
spem iisdem præscindamus; siquidem  
nos ejusmodi fistulam circa juncturas  
maxillarum obortam, & continuo lymphæ  
inter cibos mastican-  
dos oscitandumque adfluxu molestam  
in vix-

in virgine olim feliciter sanatam novimus. Denique difficultis, admodumque diuturna est illarum fistularum sanatio, quæ oculi canthum, intestina, vesicam & canalem urinariū occupant, quoniam non tantum singulæ hæc partes exquisitum habent lensem, verum etiam medicamentorum applicationem difficulter admittunt.

## §. XIX.

ratione  
alium  
circum-  
stantia-  
rum. Porro diversa quoque nascitur prognosia quoad amplitudinem vel angustiam cavitatum. Sic enim fistulae, ampliori præditæ orificio, maiorem spem sanationis offendunt, quam quæ in angustum coeunt. Quæ in breves desinunt cavernas, unum quasi ductum in alium immittentes magnam in medendo molestiam creant, & vix absque manus opera medelam recipiunt. Quamdiu oscariosum & callus in fistula remanet, frustra speratur salus, quia os sideratum semper partes vicinas in labi consortium trahit. Hinc etiam fistulae, a carie ossis subnatæ omnem respuunt sanationem, nisi prius caries fuerit sublata: cum contra altera res se habeat in iis, quæ ab ulceribus, abscessibus & vulneribus originem duxerunt, utpote quæ curationi facilius obtemperant. Præter hæc vero, permultum quoque interest, ut in prognosi ferenda subjectorum fistulis laborantium rationem habeamus, quia regulæ instar practicæ tenendum est, in scorbuticis & cachecticis, ut omnia vulnera & ulcera, sic etiam fistulosa difficultius cicatricem recipere. Siquidem largiori succorum inutilium adfluxu continuum malo pabulum suppeditatur, quo nondum subtracto, irritus est omnis medentis labor. Denique de accidentibus quibusdam, in fistulis obviis hæc est prognosis, quod, si e. g. lapides ex fistulosis sinibus excernuntur, ut SCHULZIUS in epbem. N. C. anno IX. & X. obs. 185. annotavit, vel si vermes iisdem innundulantur, ut BORELLUS in obs.

medico physic. cent. II. obs. 48. testis est, & ego ipse observavi, item si haemorrhoides per fistulam intestini recti, & mensæ per fistulam uteri excernuntur, nunquam fere non longum requiratur tempus ad curationem ex voto perficiendam.

THESES THERAPEUTICÆ  
CUM CAUTELIS.

## §. I.

Fistulae  
antiquæ  
confundi-  
danda. Ante quam ad ipsam fistulis mendendi methodum nos accingamus, operæ esse præmium dicimus, nonnulla prælibare & excutere, quæ circa fistularum curationem obici a quibusdam solent. Plurimi enim & medicorum & chirurgorum in dubium vocare ausi sunt, utrum fistulae antiquæ tuo consolidari queant, & annon potius, sicut a fonticulis diu manantibus & oclusis major inde noxa in ægrotantes redundet; Equidem de componenda hac lite sollicitus probe scio, quod splendidissima illa medicina sidera, GALENUS, PARÆUS, HILDANUS, BARBETTE, Vidus VIDIUS, Fabricius ab AQUAPENDENTE, SCULPTETUS & AMMANNUS negativum sustinuerit, multiisque tunc exemplis noxiā harum fistularum occlusionem comprobaverint. Verum enim vero, licet lubentissime concedam, quod ulcera illa antiqua & fonticuli diu gestati, in corpore impuro ante debitam sanguinis & humorum depurationem oclusi sævissima inducere symptoma valet; neminem tamen inficias ire confido, quod citra ullum sanitatis detrimentum consolidatio possit institui, prius internis remedij tam corridentibus, quam evacuantibus, & aliis depurationi inservientibus impura humorum massa ad meliorem, blandiorem & naturæ magis amicam reducta fuerit temperiem. Qua quidem in re plenissime me confirmat

firmit & fide digna peritissimorum medicorum, & mea ipsius experientia, quæ plurimi me exemplis docuit, citra ullam noxam, aut subsequen tem graviorum symptomatum syndromen, sœpe etiam sine scrupulo so internorum usu fistulas etiam antiquissimas fuisse sanatas. Multo vero magis ponderosis inductus rationibus credo, fistulas neglectas & sine cura tione relietas in ingens vitæ discrimen ægrotantes conjicere. Exemplis fistula lacrymalis, quæ nisi opportune tractatur, humorem oculi aqueum nutrimento suo privat & in perfectam denique cœcitatatem desinit. Accedit tandem, quod in fistularum sinibus continua generetur acredo, quæ exedendo & corrodendo innumeros sibi canaliculos efficit; unde successu temporis ingens humorum corruptio, imo ipsa demum sphacelatio produci potest.

## §. II.

Ipsa ulcerum fistulorum sanatio his maxime obsolvitur indicationibus: ut I) si quedam humorum dyscrasia peccat, hæc commodis remedii corrigatur; II) ut callus & scirrhosa durities, sine cuius remotione nulla exspectanda est constans curatio, perite tollatur; III) ossium, si adeat, caries auferatur, & denique IV) ut fistulæ mundentur, fibræ con glutinentur, & cavitas nova carne repletatur.

## §. III.

Curatio interna. Primo quidem scopo, sive debita humorum correctione optime potiri licet, si in id maxime incumbit prudens medicus, ut nimiam sanguinis redundantiam vel venæsectione, vel in spongiosis pinguibusque subiectis cucurbitulis cum scarificatione appositis imminuat; quod eo magis videatur necessarium, quia sub plethorico corporis statu non modo succorum impuritas promovetur, sed major quoque, quam par est, humorum adfluxus ad affectam partem proritatur. Posthæc vero in humoribus acribus

contemperandis, serosis per commoda emunctoria ejiciendis, & sanguinis universa massa depuranda summa merentur commendationem decocta radicum, lignorum & corticum tam leniora, quam saturiora, per longius temporis spatiū haurienda, quorum integra laus & utilitas ab antiquissimis temporibus ad nostram usque ætatem se propagavit. Quo etiam spectant infusa vulneraria, ex herbis & floribus sic dictis vulnerariis, hederæ terrefris, agrimonæ, urticæ mortuæ, saniculæ, scordii, floribus chamæmeli, millefol bellidis, rad. arictoloch. rotund. altheæ, ratura ligni sassafras & similibus confecta, quæ prioribus virtute minus cedunt. Tum quoque interponere decet Jenora laxantia rhabarbarina, mannata & fennata, vel etiam in nonnullis pilulas cum mercurio dulci vigoratas, quarum ope depuratio nis opus per pelle sœpe perficitur. Nec denique omnino carere possumus probe paratis mercurialibus, si lympha insig nis peccat coagulo, & pertinaces ductuum minimorum obstructiones ad sunt, vel si luis venereæ subest suspicio. Sed modo videndum est, an viscerum imbellicitas & reliqua ægrotantis constitutio hæc remedia tuto admittat. Quæ alias ad internam fistularum curationem adhuc spectant, ex capite præcedenti de ulceribus possunt defumi.

## §. IV.

Secunda indicatio, quæ callositatem tollendam præcipit, non potest expli ri, nisi remedia callum absumentia immediate callis applicentur, quod tamen exterior fistularum angustia plerumque prohibet: quare primo omnium orificia debent dilatari, ut per viam magis patentem medicamenta commodius possint pertingere. Dilatant autem præduras & artæs horum ulcerum oras, quæ humorum imbibendo se latius expandunt, ut fere sunt medulæ sambuci, spongia cera probe imbuta, quæ mihi videtur optimæ,

Indica  
tiones  
curato  
riae.

Curatio  
interna.

ma, radix consolida & gentianæ in figuram pyramidalem efformata, parteque acuminata in fistulam intrusa. Sed prospicere decet, ut in extractione harum turundarum cuti eamus, ne illæ forte frangantur & portionem sui relinquant, unde sœva & dolorifica oriri symptomata possent. Quapropter perite monet *Dominus a SOLINGEN in chirurg. part. II. cap. III.* turundas ex fragili materia nunquam esse conficiendas, easque filo alligandas, ne intimius fœse fistulis insinuent.

## §. V.

med-  
camen-  
ta sepi-  
ca. Dilatato, quantum satis est, orificio de ipsa calli remotione cogitare expedit, quam quidem chirurgi vel medicamentis, vel instrumentis præstare solent. Medicamenta in iis locis adhibenda sunt, ubi nec incisio, nec ustio commodum invenit locum, vel si recentes sunt fistulæ, & callo non adeo duro & crasso munitæ. Verum enim vero, quum varii sint generis septica eaque vel magis vel minus acria & corrosiva, quæ pro ipsa calli conditione applicare decet: unde breviter jam præcipua enarrabimus. Inter mitiora, ad tenuem recentemque callum eximendum proficia, referri maxime debet succus nicotanæ, radix ari & helleborus albus, cui posteriori ad tertium diem fistulae immiso *HOLLERIUS in institut. chirurg. libr. III.* insignes tribuit laudes. Mediae indolis sunt ammoniacum, alumum ustum, vitrum antimonii, unguentum ægyptiacum, rubrum *Felic. WURZII, apostolicum,* aqua viridis Hartmanni, crocus metallorum, lapis corrosivus & butyrum antimonii cum limatura martis ad temperiem redactum. Ex valentissimis sunt mercurius sublimatus, lapis infernalis, & similia. Præter hæc vero hic etiam pertinent aqua a *TAGAULTIO lib. III de ulceribus* commendata & ex mercurio sublimato, unguento ægyptiaco, aqua plantaginis & rosar. confecta, nec

non ex *Domini SOLINGEN* coñfilio turundæ ex pergamo liquore quodam corrosivo imbutæ. Neque reticere possum, quod sœpe mercurius sublimatus cum unguento camphorato remixtus, item emplastrum ex butyro antimonii & cera conflatum egregium præstiterint effectum. Probe tamen circa singula hæc remedia notari velim, quod liquida sint injicienda, solida autem, ut pulveres, cum unguentis in spissam formam redacta sub specie turundarum applicanda; idque tandiū, donec callus mortificatus se a carne separat, exutumque affectet. Deinceps acria illa salina caustica in partibus membranaceis, tendinosis ac nervéis cauissime debent adhiberi, ne forte inflammatio cum dolore acerbissimo accersatur, quod similiter tenendum est de mercurialibus, quæ certe, ubi ossa adfecta sunt, magnam requirunt cautionem.

## §. VI.

Præter dicta restat adhuc aliud remedium, in absūmendo callo præstantissimum, cuius usum sœpius iterumque probatissimum inveni. Est autem illud simplicissimum viride æris, quod nulla manifesta acrimonia corrosiva imbutum nec graviorem dolorem inflammatorium, nec alia excitat symptomata, sed intra tres quatuorve dies callum durissimum non modo ita exedit, ut totus separatus extrahi queat, verum etiam acidum ulceris corrosivum egregie absūmit, ut extracta callosa substantia optimum generetur pus & ex voto succedat consolidatio. Uſus vero ita debet adornari: viride æris in pulverem contusum & cum liquido, vel sola saliva subactum in turundas redigitur, quæ in cavitates fistularum callosas, quantum licet intruduntur. Secus autem fit, si recepto inter chirurgos more viride æris cum unctuosis, oleofis permiscetur. Licet etiam una vice totus callus hoc remedio non possit eximi, ob obliquum & antractuosum coniculorum ductum, poterit tamen

tamen repetitis vicibus feliciter auferri, si modo profundius turundae in cavernam immittantur. Sed cauta sit in locis nervosis applicatio.

## §. VII.

<sup>instrumenta</sup> Instrumentis quoque vel acutis, vel ignitis callositas solet tolli; & his quidem dum eschara callo inducitur & ipse mortificatur, illis e contrario, circulus ille callosus e medio tollitur, ut postea fibræ carneæ se iterum possint concretere. Ex acutis optima sunt cultri falcati, qui se ad tortuosam fistularum figuram facile accommodant, quale est syringotomum Domini SOLINGEN, modo id prudenter & circumspicte observetur, ne arteriæ vel nervi resecentur. Quomodo ignita applicanda sint, optime docuerunt SOLINGEN, VIGO, PARÆUS SCULTETUS & alii, qui de instituto hanc curandi methodum traclarunt.

## §. VIII.

<sup>Caries ossis que modo tollenda?</sup> Operam haud minorem requirit tertia indicatio, quæ eo tendit, ut caries ossis, si quæ adeat, dematur; siquidem hac durante sanies pinguis & copiosa ex osse plorans semper novum generat uleus, quod eti ad cicatricem perducitur, caro tamen superveniens est flaccida, mollis & minus bona. Cognoscitur autem ossis caries, si vel nudis oculis se manifestat, vel si specillo in fundum ulceris immissa asperitas percipitur, vel exinde concluditur, si os denudatum fiat pinguis & successu temporis nigrum, post nigredinem vero hinc & inde perforatum. In tali rerum statu vel ipsi ossi immediate medicamenta debent applicari, vel si os profundius est, siphonis ope infundi. Quo nomine commendari merentur medicamenta sale volatili oleoso instructa, quæ non modo nimios tubulos, ex quibus ossa constant, penetrantia sua facile intrant, sed quoque acidum ulceris corrigunt, ut præcipue sunt oleum caryophyllorum, cochleariæ, cinamomi, & præsentissimum omnium pul-

vis euphorbii. Sæpe etiam necesse est, ut prius os cariosum lima teratur, vel scalpello tamdiu rodatur, donec punctula apparent rubicunda. Neque dein minus utilissime & funditus quasi cariem delere solet ferrum candens, ossi crebrius adhibitum, quod tum ratione evaporationis acidi, tum ratione alterandi acidum operari videatur, quia fœdus odor post ferri applicationem plerumque solet evanescere. Ossi autem sic denudato adspergatur pulvis mastichis, myrræ, aloes, rad. ireos florent. aristolochiæ, vel pulvis ad cariem Sculteti ex balsamicis confectus: quibus super imponi possunt filamenta & dein unguentum digestivum. Si liquore opus est, optime is potest confiri ex aqua calcis vivæ, aloe, myrra essentia euphorbii & spiritu vini camphorato. Interdum tamen accidit, ut festucæ os sponte sua relinquentes firmiter lateribus carneis & calli adhærescant; ubi expedit, cum instrumento chirurgico flocculis linteis obvoluto, os saepius attingere, ut illud liberum inde evadat & forcipe eximi queat.

## §. IX.

Remotis itaque obstaculis cura adhibenda est, ut fistulosa cavitas repurgetur, bona carne impletatur, & cicatrice orificio obducatur, quod sponte sæpe accidit, si fibræ non adeo nimis a fe distant & serum bonum nutritium præsens est, superposito tantum emplastro, tonum partis firmanente & ab aeris injury defendente. Quod si autem fistula nimis ampla est, decotum ex vino, myrrha, aloe, floribus rosarum rubr. rad. aristolochiæ rotundæ, scordio, centatur. min. syringa saepius injiciendum est, ad fortes plenius detergendas, putredinemque arcedam & occlusionem promovendam. Sed tunc temporis fistulas aperiæ servari debent, quo pus exire possit, quod alias stagnando facile novos facere sinus, novumque producere callum potest. Hoc autem perficitur commodis turundis, vel canalibus aigen-

Conso-  
lidatio.

argenteis, tamdiu in ulcere servatis, donec durities omnis ablata, & cavitas novis fibris ad orificium usque est repleta, quo peracto cicatrix emplastro saturnino inducitur. Ipsa carnis generatio solius quidem laudabilis materiæ nutritiæ, bonique sanguinis opus est, nihilominus a medicamentis sarcoticis, quæ vi balsamica humidum excessivum absunt, partes roborant, acidisque & saltasque partes contemperant, insigniter adjuvatur. Qua virtute in primis polient balsamum Locatelli, Peruvianum, Copaiwæ, gummi animæ, elemi, styrax liquida, mastix, myrra & similia. Neque laude sua caret essentia incarnans elegantissima, quæ ex floribus rosar. rubr. hyperici, miliefolio, aloe, myrrha, mastiche, gummi elemi, balsamo Peruviano cum spiritu vini digestis & cum melle remixtis, optime componitur.

§. X.

*Curatio fistulae lacrymatis.* Jam demum, quæ de singulis fistulis, maxime de lacrymali & aniscorsim tenenda sint, breviter tradam. In lacrymali nondum perfecta commode locum invenit methodus illa a beato celeberr. STAHLIO descripta & ab Anello magis exculta, quæ in eo consistit, ut partim specillis argenteis in puncta lacrymalia immisisse materia sacco lacrymali impacta amoveatur, partim ut subtili syringa huic usui idonea liquores ulcus purgantes quas ex solutione salis neutrius cum aqua vel communni, vel destillata, addita aloe & myrra conficiunt, injiciantur: qua ratione, in leviori exulceratione, si vel plane nulla, vel exigua tantum callositas adest, permultum proficitur, malumque deterius præcavetur. Ipsa autem operatio peragitur, si ægo in sella demissiore collocato palpebræ sinistra manu diductæ versus canthum oculi externum retrahuntur, & dextra suspensa specillum paulo incurvatum per puncta lacrymalia trahicuntur; modo id post inflammatio-

nem superatam, & post ophthalmiam correctam demum instituatur. Major tamen salus contigit, si abundantanti feri lacrymalis adfluxui & tenacitati simul prospicitur: quo scopo præter interna derivantia, & resolventia, externe sternutamenta, vel vesicatoria nuchaæ apposita prosunt. Si verum adest ulcus fistulosum, sectione eo magis opus est, quæ præmissa per laxantia, venæsecutionem & similia præparatione, & oculis per collyria defensis in ægo demissius collocato mediante scalpelio falcato vel ancipiti in semi circulum a radice nasi per medium fistulae tumorem ad radicem usque palpebræ inferioris instituitur, vitando, ne tendinea musculi orbicularis particula lœdatur. Post hæc scalpelio obtuso vulnus dilatetur, sanguinisque profluvium sistatur. Neque vero ipsius lacrymalis scuci remoto negligi debet, transversim incidente ad locum, quo ductus lacrymalis eidem inseritur, quia alioquin destillantes lacrymæ denuo stagnantes facile corrumpuntur, & novæ fistulae ansam præbent. Tum quoque vel ferro ignito, vel specillo sulcatto os unguis est pertundendum, & novus canalis formandus, qui turunda foramina immissa, aut tubulo argenteo inserto apertus servatus lacrymis ad nares devehendis inservit. Impositis remediis inflammationem & hæmorragiam sedantibus callus absumatur, vel per ejus incisionem, vel per scarificationem, vel per ustionem aliaque remedia corrosiva. Ulcere a callo & sordibus per debitas injectiones purgato cogitandum est, qua ratione præstare velimus, ut latex lacrymalis per illum ductum arte excitatum ad nares stillet. Quo fine cannula minor ex argento fabrefacta, exterioris clausa novo ductui accommodatur, postea vero consolidatio promovetur, & illud instrumentum quiete per tempus geritur. Alii vero hujus molæstiae pertæsi diligentiori puris

per

per puncta lacrymalia expressione impeditre possunt, quo minus pus noceat. Urgente ossis unguis carie cauterium actuale prodest, cavendo per cannulam argenteam in forma nuclei olivæ adhibitam, ne oculus a ferro cadente lœdatur.

## §. XI.

Ani fistulæ curatio peragitur vel ligatura, vel cauteriis & corrosivis, vel incisione. Quæ ligatura sit, ita instituitur, ut ægri ventre inflexo cubantis femora ministrorum ope deducantur, & operator indicem digitum oleo amygd. dulc. inunctum intrudat, altera vero manu stylum vel acum flexilem ex argento optimo paratam, lino quintuplicato ad palmam longo & pilo equino circumdato, vel filo ex pilis equinis contorto munitam in fistulam dimitat, eamque pertundat; postea vero extracta acu, filoque reliquo extremitates filorum extra anum pendulas deliget, singularisque diebus restrictionem suscipiat tamdiu, donec fistula fuerit dicissa, & callositas poterit removéri. Corrosivum medicamentum calloso fistulæ ori turunda ex linteo carpto exceptum applicatur, postea vero alia turunda, ex spongia compressa cera imbuta ad dilatandum fistulæ sinus intruditur. In fistula profundiori septicum linteo carpto tamdiu est admovendum, donec callositas absimta, & ulcus consolidari queat.

## §. XII.

Omnium autem optima fistulas sanandi ratio est, quæ incisione ita perficitur. Agroto commode collocato operator indicem & medium digitum, oleo lil. alb. madidum intrudit, altera manu cultrum incisorum vagina reconditum stiloque flexili argenteo præditum recipit, & hunc fistulæ ori immittit, donec ad fundum fistulæ sinus stili acies per venerit. Hoc facto stili aciem ad digitos vertit intrulos, eamque per ilorum interstitium adigendo fistulæ sinus pertundit, postea digitorum

apicibus stylum recurrat, & cultri aciem manubrio absconditam altera manu detegit, cultrumque manubrio arreptam protrudit, & digitis extractionem stili molientibus succurrit. Stylum sequitur cultri acies, qua cooperante utraque manu, uno ictu fistulosum ulcus discinditur. In fistulis externis & in sphincterem terminatis hanc præstat istituere operationem. Chirurgus acum ex finissima lana paratam; spithamæ longitudinis constanti manu sinu fistula aperto intrudit, ejusque fundum pertundit, postea cuspidé recurvata acum per fistulam traducit, & ad ejus medium extremitates acus commitit, commissaque firma tenet una, altera vero manu mediante cultri incisorii fistulæ partem ab extremitatibus acus compressam rescindit, ut portio acui adhaerescat. Neque denum laude sua caret Dom. Bellieres secandi methodus, quæ per cultrum, acie quadantenuis incurvata, dorso rotundo & polito, collo oblongo & rotundo, inferius lato, superius in mucronem sensim abeunte, globuloque parvo pisi magnitudinis munitum in fistulis externis ani sphincterem obsidentibus peragitur.

## O B S E R V A T I O I.

## Enarrationes Morborum.

**M**atrona illustrissima diu olim vexabatur ulcere genæ fistuloso, quod omnibus fructu adhibitis remedii ad sanitatem perduci non poterat. Ego igitur consultus suspicabar primo dentem cariolum, sed hoc non invento, & levi tantum gingivæ tumore conspecto, hunc protinus lanceola aperiendum curabam. Unde mox in conspectum se dabant duas festucæ & radices a dente olim extracto relictæ, quibus extractis demebatur simul longa ac rotunda membrana, fistulosum ulcus externe guttulas aliquot sanguinis fundens brevi tempore ex voto sanabatur.

EPK.

## E P I C R I S I S.

Habent id peculiare & quasi proprium fistulae genæ, ut plerumque a crosis dentibus foveantur, quibus exemptis sponte sœpe aut levi tantum medicatione adiutæ sanescunt. Idem evenit in præsenti casu, ubi fragmen ta a dente quondam evulso, relicta impediverunt, quo minus faciliorque obtigerit sanatio. Simile quid olim obseruavi in virgine, quæ fistula lacrymali laborabat, cuius orificio in eminentia ossis maxillaris ad latera colli extans, & per medium glandulae Warthonianæ transiens in dente molari extremo terminabatur, quo evulso primum sanguis, tum lympha exstibbat pura, & tandem sanatio, licet ob lymphæ fluxum difficilius procurabatur.

## O B S E R V A T I O II.

**F**istula  
mam.  
mæ.

Eminia ex gente Judæa tumorem mammæ sinistre habebat, qui suppuratione facta a chirurgo aperiebatur. At vero, cum insignes ductus laeti lacerarent, continuo fere lympha cum pure mixta chylosa exstibbat. Neglecta purificatione humor exedendo ingentem formabat sinus intus leviter, sed non adeo graviter durum, qui totam prope mammæ substantiam fistulosam reddebat. Quare ego in auxilium vocatus brevem canalem argenteum orificio fistulae, ad puris fluxum derivandum, immitti, & ulcus decocto, ex myrra, aloë, flor. rosar. & vino parato aliquoties de die syringa injici præcipiebam, eo effectu, ut ægra simul internis depurantibus adiuta exoptatae redderetur sanitati.

## E P I C R I S I S.

Hoc quidem ulcus nondum vera fuit

F I N I S.

fistula, quia callo duro adhuc carvit: nihilominus in parte cordi propinquiori periculo non vacavit. Mali autem origo debetur chirurgi imperitiæ, qua commissum fuit, ut humor purulentus non rite eductus sibi sinus efficerit sicut plerumque fieri deprehendimus, si materia intus retenta per stagnationem majorem acquirit acridinem majoremque profundius penetrando potentiam.

## O B S E R V A T I O III.

**C**orripiebatur olim vir plebejus lethalis. fistula  
malo, ut putabatur ischiadicò lateris dextri, cui nulla servata diæta, nullisque adhibitis remediis ulcus superveniebat, quod quinque digitis infra articulationem ossis femoris cum coccyge apertum ingentem materiæ copiam fundebat, & neque internis, neque externis tractatum remediis in fistulam desinebat, qua æger per longum temporis spatum summis cum torninibus vexatus, accidente tandem tumore scroti & adiacentium partium aquoso miserrime moriebatur. Per sectionem cadaveris maximeque ulceris, circa caput ossis femoris & ipso capite acetabulo ossis coccygis acerrima caseosa, & tartarea materia insigni in copia deprehendebatur, qua ligamentum illud, os femoris cum coccygis acetabulo connectens exesum, imo, quod maximum est, ipsa cartilaginea substantia, qua hæc ossa in articulationibus investiuntur, consumta, ipsaque ossa summa carie corrupta cernebantur, luculento indicio, potentissimum & acerrium ibi latitasse acidum. Ut ideo plenius adhuc confirmantur, quæ de summa acridinis in fistulis præsentia supra commemoravimus.

## C O N S P E C T U S C A P I T U M.

CAP. I. de scorbuto ejusque vera indole.

II. de sphacelo a causa potissimum interna ejusque curatione.

III. de purpura præsertim chronica scorbuti sobole.

IV. de lue venerea.

V. de pustulosis & pruriginosis variæ generis affectibus cutis.

VI. de omnis generis ulceribus tam benignis quam malignis, præsertim cancerosis.

VII. de circumspecta ulcerum fistulosorum curatione.